











893

VALLE SIA  
CHRISTIANA  
SEU  
DIOECESIS SEDUNENSIS  
HISTORIA SACRA

VALLENSIUM EPISCOPORUM

Serie observatâ, addito in fine eorum-  
dem Syllabo,

Per

Sedunensem Canonicum Sebastianum  
Briguet SS. Theol. Candidatum

Data in lucem Anno 1744.



SEDUNI,

Ex Typographia Magnifici Magistratus, per

MICHAELIS MONTAGUE





\*\*\*! \*\*\*? \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*.


# DIVO THEODULO

## Grandimontano Sedunorum Episcopo &c

### Patriæ Patri, ac Patrono.

**N**uminis Hic servus excimus à pueris  
nomen, & omen natus,  
Cum per medios alta situs splendesceret  
virtus, illius & cana fides,  
Pontificio Theodulus insignitus honore,  
Sedunensis gregis fit custos pervigil,  
alter Aaron,  
vocante Nume.  
*Sed & mens nescia labis,*  
*atque idonea Divis hostia,*  
*Illi cor purum,*  
*Culpam retegens Caroli, abdita novit,*  
*Thebaeorumque offa dignovit.*  
*Quem porro sacer ignis, amor Cœlo charum*  
*reddit Antistitem,*  
*meliori quoque mundo in ambris est.*  
*Namque forma Gregis factus ex animo,*  
*& nostræ cynosura salutis,*  
*Sic Divina curat omnia,*

Ut humanis adsit quoque subsidijs.  
 Arenti Vallensium vite, pressâ cados locu-  
 pletat uâ,  
 Fitque infusa gratius unda merum.  
 Quâm sit contrâ terrificus orco Theodulus,  
 docemur,  
 ad cuius nomen, precisque tremit damnatum  
 Averni genus,  
 & horrificas mox paritura faces,  
 aut nocituras grandines, æriu campani pulsu  
 Nox pellitur.  
 Sic meritis dives Théodule orco devicto,  
 hominéque, Deoque devincto  
 Empyreæ tolleris Regionis ad Oras:  
 ubi cœlicis permixtus Genijs  
 etiamnum Gregi ades tuo, & avitis nos foves  
 amoribus,  
 Perge tueri supplices, quos amas,  
 & propitio Numine nobis de tuo nomine  
 DEI in Terris obsequium,  
 DEum ipsum in cœlis precibus impertire.



Celsissimo , ac Reverendissimo  
Principi ac Domino, Domino

# JOANNI JOSEPHO

Sedunensi Episcopo , Comiti , &  
Præfecto Vallesij utriusque, Sacri  
Romani Imperij Principi &c.


Eminis sub auspicijs , gemino-  
que Sedunensium Antistitum  
*Theoduli , & Joannis Josephi*  
consecrata Nominis prodire in  
publicum voluit Vallesia Christiana, quo-  
rum alterius ad alterum facta compara-  
tio nostræ in utrumque venerationis stu-  
dium adauget. Pansam præfert rosam  
utriusque scutum gentilitium in odorem  
virtutum Pontificiarum: Hospitalem pan-  
dit uterque manum , replendo ille per  
Prodigium dolia, hic prodigâ manu ape-  
riendo , uterque in omnes apprimè be-  
neficus : Thebæorum sacra ille ossa re-  
velat, hic phrigiano opere adornat, Al-  
taria condit, ditat sacraria : Ille Dæm-

num Propulsator terrificus , hic vitiorum , factus etiam anteriorum æmulator Pontificum , non dicam *Oggerij* , quem Cœnobij Agaunensis documenta ferunt vixisse anno Christi 300. certius autem *Theodori* , qui christianaæ Disciplinæ tradendo Præceptiones Ethnicæ superstitionis propulsavit tenebras , floruit anno 381. dein & Heliæ , qui circa annum 400. adversus Arrij heterodoxa dogmata sanctiori Marte decertavit : Denique *Florentini* . cui anno 411. salvificæ Legis prædicanti articulos , linguæ , lucisque usuram ademerunt Vandali , hos , inquam , superstitionum , hærefesonque Exterminatores primævos solerter æmulatus es , *Celsissime Princeps* , quoties neque humanæ sapientiæ verbis , neque Verborum fuco , sed evangelicæ vocis energemate sermones ad populum habendo , vitijs bellum indixisti è cordibus Fidelium propulsandis . Id autem quo maximo ad omnem Pietatem incitamento , quo liquidissimo conferti Populi solatio , quo ingenti animalium fructu fieri soleat , nisi inflammatum illum in dicendo fervorem , & minram in influendo suavitatem assequar ,  
effari

effari non valeo: Sic antiquissimorum Christi Præconum seſtando charismata, dignus , qui in antiquissimo regendo Episcopatu eis succederes , evasisti , nationis, inquam, Germanicæ ( cuius *Concordatis* Leo Papa X. Sedunensem aggredit ) antiquissimo , alterum, tertiumve si demeris, sique dubios nonnullis Pantalum apud Rauracos , apud Vindelicos Lucium omiseris. Noveris hinc, quām dignum factus sis dignus qui regas Episcopatum , cūm ab antiquitate potius , quām ab reddituum opulentia metiendam esse existimem dignitatem Episcopatum. Hunc ut auspice Deo feliciter , diutissimeque gubernes , precor ex animo , unā ut has paginas tuis Honoribus nuncupatas placido vultu intueare , efflagitans.

Reverendissimæ Celsitudinis tuæ

*Servus infimus , Domesticus ;  
& cliens divinissimus  
Sebast: Briguet C. S.*



## Lectori.

**H**Abes, Benevole Lector, succinctam hic Diœceseos Sedunensis Historiam sacram, quam dum nemo hactenus, quantum memini, in lucem edidit, non ingratam litterariæ, & historicæ rei Amatoribus fore existimavi; Nolim autem, à me præstoleris narrationem politicorum gestorum sive Pacis olivam, sive belli aleam spectantium in Valleſiā, minus item turbarum, Factionum, aut civicorum tumultuum hic pono theatrum, sed inoffenso calamo ea duntaxat in publicum dare constitui, quæ Ecclesiæ Sedunensis Fastos, sacrōsque Annales, & sub potioribus Episcopis Gesta non merè prophana, pralertim Religionis Christianæ apud Vallenses Initia, progreſſus, Discriminaque attingunt, facta omnium in varia ſæcula utili partitione. Quare nec SS. virorum, quos terra Vallenſium, seu Diœcesis Sedunensis Christo peperit, aut aluit, integras vitas ordine texere meditor, ijs folummodo inhæſurus, quæ vel ad illuſtrandam Sedunensem Ecclesiā magis accommoda, vel ad propagandam apud Vallenses Religionem orthodoxam, & perversionis propulsanda pericula, feliciora fuſſe videbuntur, ut inde, & ad collaudandum DЕum in Sanctis suis, & ad gratias de Divinis in eos, & aliam Patrīam beneficijs agendas accendamus universi.

Nos



NOS JOANNES JOSEPHUS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS SEDUNENSIS, COMES ET PRÆFECTUS UTRIUSQUE VALLESII, SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS &c.

Cum liber, cui Titulus: *Vallesia Christiana seu Diœcesis Sedunensis Historia sacra* nihil orthodoxæ Fidei. vel bonis moribus adversum, quantum legendo advertere potuimus, contineat, sed eruditione singulari dictam Historiam explanet; illum Typis mandari posse censemus, & serie harum concedimus in Domino.

In quorum &c. Seduni die 18. Aprilis 1744.

JOANN. JOSEPH.  
EPISCOPUS SEDUN. m.p.

*Authoris Protestatio.*

Prostiteor ego subscriptus, & declaro, me,  
quidquid in hoc Libello conscripsi, & in lu-  
cem dedi, non alio sensu intelligere, seu interpre-  
tari velle, quam qui conformis sit Sancte Matris  
Ecclesiae intentioni, Regulis, & dogmatibus, cuius  
& SSmi D. N. Papae, ejusque S. Sedis decisionibus  
& oraculis omnia, & singula in hoc opusculo  
contenta venerabundus subjicio. In quorum  
&c. Seduni die 20. Aprilis 1744.

Sebastianus Briguet C. S. m. p.



Pars I.



# PARS I.

## *SECTIO I.*

*A Sæculo primo usque ad quartum.*

### CAPUT I.

*Initium Plantationis Christianæ Fidei  
in Vallesiam.*

 It laus pérennis , honor, & glo-  
ria JEsu Christo , Deo Incar-  
nato , generis humani miro Re-  
paratori , qui Vallesiam no-  
stram primis nascentis Ecclesiæ suæ tem-  
poribus ex Gentilium errorum caligine  
ad Evangelicæ veritatis lucem propitius  
eduxit , ut quò maturiùs Divino hoc so-  
le incalescerent corda Vallensium , hoc  
ferventiori in Authorem Deum amore  
orthodoxæ Religionis , & salvificæ Fidei  
lumen ad consummationem usque fæ-  
culi tuerentur , dixi : à nascentis Ecclesiæ  
tem-

*temporibus primis quo d non vanis, nec levibus ex indicijs affirmatum existimabis, ubi ad capitum hujus calcem legendo perveneris.*

S. Barnabam Apostolum , missum à Principe Apostolorum , Christianæ Fidei dogmata , pulsis Gentilium superstitionibus Mediolanum intulisse anno ab adventu in humana Divini Mediatoris 46-jam pro comperto habetur tam ex Ecclesiæ Mediolanensis traditione antiquissima , quam gravium Authorum unanimi opinione , ac sententiâ . *Joannes Gabr. Bis-ciola in Epit. Annal. Baronij in annum Christi 51. Henr. Murer in Helv. S. in vita S. Beati : Aliique apud Morerum Verbis : Barnabé : Milan. Franc. Giry in vit. SS. 11. Junij in vita S. Barnabæ ex 2. parte vit. SS. Italiæ per Ferdinandum Ughellum , qui dicit etiam circumvicinis Urbibus , & Provinciis prædicasse Evangelium , in eâ item Civitate Episcopum Anathalonem natione Græcum ab eodem Barnabâ substitutum fuisse legitur apud Andraeam scotum in Itin : & cit. Franciscum Giry ex dicto Ughello. Ribaden : in vita S. Barnabæ : Martyrolog. Rom. in annet. Baronij ex Tab.*

*Tab. Eccles. Mediol. 25. 7bris, in quo equi-  
dem Eustorgius primus Episcopus Me-  
diolani dicitur 18. 7bris, sed intelligitur  
primus hujus nominis ratione Eustorgij  
2di, qui vixit tempore Theodorici Re-  
gis Italiæ ex cit. Annot. Inde asseverant  
nonnulli apud P. Sigismundum à S. Mau-  
ritio in vitâ S. Sigism. Act. 21. etiam per  
eiusdem Barnabæ Discipulos finitimis  
Populis, atque ipsis Vallensibus Chri-  
stianarum Præceptionum Elementa fuisse  
tradita, ex quâ eorum opinione haud  
ægrè conjicet aliquis, Valleiam superio-  
rem Christo nomen dedisse, ejusque Sa-  
cra suscepisse in ipso propè limine per-  
sonantis Legis Evangelicæ, præsertim  
cùm & Veragros ipso quoque novellæ  
Ecclesiæ initio Christianis Præceptis in-  
structos ad salvificæ Religionis lucem  
traductos fuisse, fidem non superet, at-  
tentis maximè iis, quæ paulò pòst de  
veragris, & singulatim de Agaunensibus  
dicentur. Pro cuius rei notitiâ sentien-  
dum est in primis cum *Metaphraste in  
serm. de Apostl. Petro & Paulo*, Petrum A-  
postolorum Principem excurrisse in Gal-  
lias, & tum per se, cùm & per Discipu-  
los*

los suos, virōsque alios intulisse veritatis Evangelicæ lucem, eosque Discipulos Episcopali munere auētos præfecisse Civitatibus nonnullis, ut sentit etiam *Genbrardus in suā Chronol.* *Baldazanus in Sac. Theb. hist.*, *Baronius Tom. 5. Annal. in 47. 58.* credibile esse, inquit iste, S. Petrum Apostolum lustrâsse Orbem Occidentis, & longè, latèque *Evangelium propagâsse usque ad Britannos*: Bisciola autem Soc. Jesu inducit Agapitum Papam in 5. Synodo aēt. 2. afferentem, Petrum Bisuntinis, & aliis ejusdem Provinciæ locis dedisse Episcopos, atque pulsum Româ Edicto Claudiū lustrâsse Orbem occidentalem. *Baronius in annum 46.* In eandem demum sententiam abit *Petrus de natalibus l. 7. de SS.* videlicet plures ab Apostolo Petro Episcopos ad Gallicas oras esse missos, jamque docemur ex hist. S. Marthæ *Brev. Rom. die 29.* Julij Lazarum Massilientibus, Maximinum Aquensibus præfuisse Episcopos primis illis Ecclesiæ temporibus, quibus & naēta est Narbona S. Paulum, Vienna Delphinatūs S. Crescentem, Remi, seu Durocotium S. Sixtum, Vesuntio S. Linum, unum ex 72.

Chri-

Christi Discipulis, qui Onasium Tribunum ad Fidem perduxisse, & ejus Dominum in ædes sacras convertisse dicitur, post revocatus Romam, & in Cathedrâ Petri factus successor. *Foresti in Lino.* *Casper Lang l. 2. c. 1. a. 4.* Sed & Trophimus ab Apostolis Romæ ordinatus Episcopus, ad prædicandum Evangelium missus est Arelate, de quo Zosimus Papa affirmat, ex ejus prædicationis fonte per totam Galliam Fidei rivulos derivâsse, de quo & meminerat Apostolus *2. Timoth. 4.* scribens, se eum reliquisse Miletii infirmum. *Ado vienn. l. de festivit. SS. Apostolorum, & Discipulorum.* Dicunt equidem, haec non esse ad sensum Gregorij Turonensis, qui Trophimum Arelatensem annumerat illis sacrae in Gallias Expeditionis viris Antistitibus, Decio, & Grato Consulibus factæ anno 250. quâ missos refert Gatianum Turonensibus, Paulum Narbonensis, Saturninum Tolosatibus, Dionisium Parisiensibus, Astremonium Arvernensibus (*Clermont*) Martialem Lemovicensibus, verum huic opponunt Epistolam scriptam à S. Cypriano Stephano Papæ, ex quâ non obscurè colligitur an-

no 254. jam Areiate constitutam fuisse Ecclesiam, cui præfuerit Marcianus Episcopus, unde suspicatur & in aliis binis hallucinatum esse, ut proin & Saturninum Tolofatibus & Paulum Narbonensis longè anteriùs, ac sentit Gregorius esse datos, arbitrentur. *Morerus vbo: l'Eglise d'Arles. cit. Jof. de l'Isle c. 16. Jean. Gabr. Bisciola in Epit. Annal. Baron. anno Christi 58.*

Inde conjiciunt nonnulli apud cit. P. Sigismundum à S. Mauricio, curâ SS. Petri & Barnabæ Apostolorum; perque eorum Discipulos ad Vallenses quoque christianæ Disciplinæ, & Evangelicæ veritatis Elementa derivâsse, affirmantes, ipsum Apostolorum Principem cum in Gallias ad Britannos usque contenderet, iter per Alpes agere coactum, per Montem Jovis nunc *S. Bernardi* nuncupatum facto transitu Evangelizare cospisse nostræ Vallesiæ, prout & Helvetiæ; unde *Guillimannus l. i. de reb. Helvet. c. 15.* examinans eorum opinionem, qui *Beato Petri* Discipulo primam ad Helvetios Fidei Christianæ Prædicationē tribuunt, inquit, *sed mibi attentius ista perquimenti videtur audi*

*liud initium fuisse, ipsumque adeo Petrum fuisse, qui ut alias nationes, ita Helvetios de Fide, & verâ Religione primus docuerit peregrinatione illâ, quam ad Orbis ultimos Britannos suscepit. Videatur. Genebrard. in chronol. Baldazanus in Thebaeorum bift.*

Hoc porrò ex nonnullorum opinione admissò , sentientium, Apostolorum Principem illius occasione peregrinationis transisse Pœnini Montis jugum, nunc S. Bernardi Majoris nuncupatum , quidni existimandum est, eò ipsò eundem Apostolum sui in ipsum Servatorem crucifixum amoris æstuantis flamas etiam apud Vallenses diffusisse, neque enim tacuisse censendus est, qui ad cruentæ Passionis, & Dominicæ Resurrectionis, cæterorumque Christi mysteriorum perhibendum Testimonium venerat; inde nemo verterit in dubium , Petrum in suo apud Veragros transitu Evangelicæ doctrinæ fœcunda reliquisse semina, quin & penes ipsam Gentis nostræ traditionem, compertum est, hujusc veritatis perdurre apud Veragros vestigia quædam, & indicia, è quibus tamen liceat paulisper digredi gratiâ paucorum eorum, qui Pœnini

nini Montis jugum illis temporibus non  
passim peryum fuisse autumant, quan-  
tumvis rerum veterum Monumenta pu-  
blicis Commentariis consignata econtra-  
nos doceant, etiam militares copias cum  
Ducibus suis Pœninarum Alpium juga  
superâsse, & ipsas quidem ab Hannibale  
factas esse pervias, qui cum Exercitu  
Montem Jovis pertransierit, unde *Ju-  
ven. Sat. 10.*

*Diduxit scopulos, & Montem rupit aceto.*

Censendum procul dubio est, ex eo  
tempore Montem Jovis fuisse peryum,  
tametsi non sine periculo & sumptu-  
bus sanè magnis Mercatorum pro por-  
torio, ut insinuare videtur Julius Cæ-  
sar in suis Commentariis lib. 3. ubi de  
obsidione agit veteris Octoduri per Ser-  
gium Galbam: quin prostant adhuc ve-  
stigia incisi itineris in rupe dicti *le chemin*  
*d'Hannibal*, aliquot tamen spatijs inter-  
rupti, seu destructi ab incidentibus, ut  
vocant *Labienis*, vulgo *Lavanches*, strati  
permontem *le Montmor* nuncupatum  
paulò supra viam modernam, sed & oc-  
currit alterum subtus planitem, *Jovis*  
yocatam, quâ parte descenditur ad Sa-  
laf-

Iassos, incisum, via pariter *Hannibalis* dictum; ferunt autem in illo superiori Plano Delubrum extitisse, seu Hannibalem ex Italicis oris reducem, totque victorijs auctum, hoc Jovi anathema posuisse, cuius rei extant etiamnum haud obscura quædam indicia, etiam numismata argentea illic loci identidem reperta, Jovis speciem in throno sedentis, manuque unâ fulmen præcipitantis exhibentia, facie autem alterâ effigiem Imperatoris redimiti tempora lauro.

Jam verò indubium est, illâ ab ætate sub ipso Montis jugo & loco, ubi nunc S. Petri *Burgum*, in transitûs ejusmodi commoditatem, atque itinerantium subfidum fuisse Diversorium, & hominum incolatus, unde nec arbitror, vanam esse illorum opinionem, qui *Burgum* ipsum vocari à S. Petro autumant ex eo, quod is Apostolus superato Monte illic loci hospitatus, Evangelicæ doctrinæ semina jecerit, ejusdem loci, & Ecclesiæ, cui ab eo titulus, semper habitus Tutelaris. Præterea antiquitatem templi abunde inter alia denotabat visa hactenus, seu ante nupernam ejus reparationem Inscriptio his verbis:

*Ismaelita cobors Rhodani cùm sparsa per agros  
Igne, fame & ferro s̄eviret tempore longo,  
Vertit in banc vallem Pœninam Messio falcem,  
Hug. Præsul Genevæ Xpti post ductus amore  
struxerat hoc templum Petri sub bonore  
sacratum,*

*Omnipotens Illi reddat mercede perenni,  
In VI. decimâ domus hæc dicata Kalenda  
Solis in octobrem C. V. F. itr...escensio mensem.*

Ipsa hujus templi , ac scripturæ ,  
quam fixis oculis egomet luitravi , mi-  
ra antiquitas ita elucebat , ut primo-  
rum sæculorum Religionis Christianæ  
Monumentum indubium esse videretur ,  
propius tamen accedentibus ad annos  
strukturæ duo nobis patefaciunt iter ,  
primum tempora Hugonis Condito-  
ris , Gebennensis Antistitis , alterum  
irruptio Gentis Ismaëliticæ in Vallem  
Pœninam vulgo *Intermontium* , hæc re-  
ferri non possunt ad Hugonem I. qui  
Gebennensem Ecclesiam rexit sub Papâ  
Joanne III. & Guntrano Rege. ex cit.  
*Minutolio* , & colligitur ex Syllabo Episco-  
porum Gebennentium neque enim Ismaë-  
litas , seu Agarenos , aut Saracenos ijs an-  
terioribus sæculis in Europam penetrâsse  
uf-

usquam legi, irrupere econtra saeculo  
 VII Rhodani viciniam igne, ferrisque  
 vastantes, Arelatensem civitatem suo ad-  
 dentes Imperio anno 730. quo etiam A-  
 venionem ad ditionem subegerunt,  
 sed utraque in libertatem asserta per Ca-  
 rolum Martellum, itidem altera jugum  
 subiit Saracenorum anno 737. *Fran. Haff-*  
*ner in Lothario IV. & Theoderico III. Mo-*  
*rerus vobis Arles: Avignon. Annal. Fulden.*  
 Unde verisimilimum est, eadem tempe-  
 state Gentem Ismaelicam, Rhodani flu-  
 entia secutam, invasisse quoque Vallesiæ  
 & quaquaversum furoris sui plagas in-  
 tulisse, sacrâque contemerantes, ædem  
*Burgi S. Petri* vastâsse, quam demum evo-  
 lutis à tempore excidij fors annis com-  
 pluribus, à fundamentis excitavit Hugo  
 II. Gebennensis Episcopus, Adelhaidis Im-  
 peratricis nepos, quem obiisse anno 944.  
 ait *Minutolius*. Hæc ad ostendendas eo-  
 rum temporum calamitates Vallesiæ à  
 Saracenis, prout demum & à Vandais,  
 aliisque Christianæ Fidei hostibus publi-  
 cis,

Inde Octodurum, tacitis hic locis,  
 ac pagis intermediis, sedes primorum E-

piscoporum, celebre Oppidum tempore Romanorum, B. Mariam Virginem veneratur Patronam, jam ipsis Apostolis in cultu singulari habitam, ut credere fas sit, Oppidum hoc eadem Apostolici transitus occasione Christianæ Fidei lumen recepisse, ac proin sedem primam Vallen-sium Episcoporum fixam fuisse apud maiorem numerum creditum, pugnantibus pro Octoduro etiam iisdem, quæ pro S. Petri Burgo, rationibus, imò & pro Tarnadâ, seu Agauno, cujus cives in armis Gentilijs hâc Epigraphe perpetuâ consuetudine utuntur: *Christianæ sum (Burgesia) ab anno 58.*

Ad rei hujus stabiendiā veritatem illud confert, quod Petrus de Natalibus affirmat *l. 8. catal. SS. c. 103.* Thebæorum MM. corpora fuisse à Christians in ipso loco sepulta. Idem sentit Ribadeneira *Tom. 2. in Flor. SS. in vita S. Mauritij 22. 7bris.* Item Joannes Suffren, *S. J. in Jubilæi anno ad diem 22. 7bris. ajens,* illa sacra deposita Pignora per Gentem illius Regionis recondita fuisse. His accedunt Victor & Vincentius ac nonnulli alij indubitanter asseverantes, pridem ante Thebææ Legionis cædem fuisse Chri-

sti-Fideles in Valletiâ, unde Fran. Guillmannus l. 4. c. 3. de *Vallesianis*: mature per quotidianos Alpium transitus Christum agnovere. Decebat sanè, ut à fonte, seu orbis Christiani capite Româ mox in Oppida seu Urbes socias, ac jure civitatis Romanæ donatas, quales erant, Sedunum, Octodurum, & Agaunum, Evangelicæ veritatis rivuli derivarentur: ex quibus omnibus eruitur argumentum non leve, jam anterioribus saeculis viros Apostolicos lustrasse Vallesiam, atque in eâ Fidei christianæ posuisse initia, & quidem verissimilius ipsum Apostolorum Principem, ejusdemque atque Barnabæ Discipulos.

Dein neque abludit à verô, cum essent primis illis Ecclesiæ temporibus jam numerosi Christicolæ in Valletiâ, ipsos Gebennenses Antistites sive jure viciniæ, sive charitatis Christianæ impulsu per vigiles curas extendisse quoque in Vallenses accolas, tum in novellæ Ecclesiæ, & Fidei christianæ sacris Institutis firmandos, cum & Divini prædicatione verbi felici numero adaugendos, prium quidem Nazarium, quem ferunt Petri fuisse Discipulum, qui & Celsus (id ci

ei nomen erat) civem Gebennensem orthodoxæ Fidei Praceptionibus imbutum , iusstralibus undis tinxerit , secutò utriusque Mediolanum itinere, & ibidem amborum gloriofo Martyrio anno Dñi 75. referuntur in Martyrol. Rom. ad diem 28. Julij, cuius porrò Antistitis successor *S. Paracodes*, sedis demum Metropolitanæ Viennensis honore auctus, cùm ad grandævam ætatem pertigerit, censendus est Vallensium Dominico Gregi suam quoque impendisse curam, & operam: obiit anno 104. *Minutolius lib. cui Tit. Les Motifs de la conversion &c.* qui & sentit, *Hyginum*, dimisso ob Persecutiones Alexandriae Episcopatu , quartum Gebennæ Episcopum, conversioni Gentilium in Vallesiâ allaborâsse : *Il mourût*, ait ipse , *au País de Vallay*, où il estoit allé pour tacher de convertir ses parens l'an 155. Hunc tamen cùm non referat Catalogus Kitualis Gebeñens- nec de ejus apud Vallenses ortu , ac prædicatione ullis viis alijs nobis constet , meritò relinquimus dubium.

## CAPUT. II.

*De Thebææ Legionis Martyrio in Vallesia.*

**H**Æc æra est Romanorum Tyranno-  
rum persecutionis , & Imanitatis in  
Christicolas præsertim Maximiani, & Dio-  
cletiani , etenim cum sacer ille ignis , quo  
corda Apostolorum , & Christi Discipu-  
lorum incaluerant , potiorem jam orbis  
plagam pervasisset , ita pectora creden-  
tium hoc sole Divino inflammabantur ,  
ut non vererentur nomen Christi , & E-  
vangelij legem palam Gentibus profiteri,  
& coram Regibus , nullis ab hac Sanctâ au-  
dacitate catastis , nec ullo Tormento-  
rum genere absterrendi , hinc furente Ty-  
rannorum rabie cadebant innocuae victi-  
mæ ( primitivæ Ecclesiæ germina ) gau-  
dentes pro nomine Jesu contumeliam  
pati , & inventorum genus omne cru-  
ciatum. Hoc ipso tempore Duce & hor-  
tatore Mauritio Legio Thebæa sponta-  
neâ sanguinis profusione nostram irriga-  
vit Vallesiam , factâ cruore SS. Thebæo-  
rum in semen plurimorum Christiano-  
rum. Nam-

**N**Amque Mauritius & Socij Legionis Thebae, viri in rebus bellicis strenui, virtute nobiles, sed fide nobiliores, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, fidem Christianam ita integrè, castèque colebant, ut nullis impiorum principum Edictis, adduci unquam potuerint ad eam violandam, Maximianus igitur ducto in Galliam exercitu, cùm ad fines Sedunorum sacrificij causâ constitisset, omnes milites dijs thura incendere jussit. Quo scelere Mauritius ne se contaminaret, à reliquis copiis unà cum suis discessit, Imperatoris autem nuntijs revocati, se Christianam fidem celerè ex animo responderunt. Quam ob rem Maximianus misit ad eos milites, qui suò nomine nuntiarent, ut, si salvi esse vellent, in castra ad sacrificia irent. Qui se Christianâ religione impediri responderunt. Quorum responsum ille indignissimè ferens, majori iracundiâ, quām anteà exarsit. Itaque immissâ parte exercitus in Thebaeos, decimum quēaque eorum jussit occidi. Quod martyrium libenti animo, maximèque hortatore Mauritio ferre maluerunt, quām imperata facere nefarij Imperatoris. Maximianus autem nedum eā cāde satiatus, reliquos sacrificare imperavit, iij & suā sponte & Mauritijs Ducis itidem hortatu id committere constantissimè negaverunt, quam ob causam eorum internacionem ab exercitu fieri jussum est. Qui omnes vel libentissimè depositis armis, cùm certices pro Christo Domino presbuiissent, decimo

Calen-

Calendas Octobris contrucidati ad martyrij palmam adeunt in cœlum : Præcipui autem inter eos extitère Mauritius , Exsuperius , Candidus , Victor , Innocentius , atque Vitalis , ad quos referri possunt Ursus & alter nomine Victor , ambo ex eadem Legione milites , qui sub eodem Imperatore Solodori diris primùm suppliciis excruiciati , sed cœlesti super eos lumine coruscante , ruentibus in terram ministris , eterpti , deinde in ignem missi , sed in nullo penitus læsi , novissimè gladio consummati sunt . *Ex Offic. proprio Sedunens. Ribadeneira Tom. I. 22. 7bris Baronius in annum 297. Henr. Murer in Helvet. S. Adon, Beda, Usuardus, Surius &c.*

Ea horrenda strages tot illustrium bellatorum visa est hominum fidem exceedere cuidam Heterodoxo (*Du boudieu.*) Ut etiam ausus sit tanquam superioris ætatis commentum Thebæorum Martyrium rejicere , eō potissimum obtentu , quod non sit tantæ imprudentiæ nota · Maximiano Herculeo inurenda , ut numerosam adeo de cohortibus suis manum delendo voluerit seipsum privare valido adversus Bagaudas subsidio &c. sed hæc , & quidquid demum obganniat obtrectator , hujus sanè veritatem Martyrij , cætera licet argumenta deessent ,  
vel

vel ex hoc periuiaiam omnibus esse de-  
bere existimo , quod Sigismundus Bur-  
gundiæ Rex, atque Regni Antistites con-  
gregati , illis temporibus admodum vici-  
ni , nisi de Thebæorum Martyrio com-  
pertam , tanquam in re liquidissima ha-  
buissent veritatem , haud quaquam illo-  
rum honoribus destinassent tanti operis  
**A**gaunensem Basilicam , pretiosâ supel-  
leâtili instruâtam , Cœnobiûmque am-  
plissimum largo censu ditatum , cum a-  
liud nihil occurreret , quo Rex , & Epis-  
copi ad colendum famoso hoc opere **A**-  
gauni locum induci potuissent , & qui-  
dem hauftæ veritatis certâ notitiâ , cum  
essent luci propinqui , id est , tempori-  
bus Martyrij , cuius proin memoria re-  
cens omnium Christicolarum provoca-  
bat in Sanctos Thebæos venerationem ,  
hinc *Maryrologium Rom. 22. 7bris in notis*  
dicit , quam plurima antiquissima monumen-  
ta prodere , fuisse frequentem Fidelium occi-  
dentalium peregrinationem ad MM. Agau-  
nenses . Sigebertus de viris illustr. c 159.  
**A**dion. Vienn. X. Kal. oct. P. de Natali-  
bus , de SS. mense 7bri l. 8. c. 103. Greg.  
**T**uron. l. de glor. MM. c. 76. hic loci sub-  
stitere

stitere Romani Pontifices, Regiâ, & Imperiali coronâ vertices inclyti, sacri variatum Diœceseon Antistites, virique alij complures Sanctimoniae famâ clari, non alio quâm piæ in Thebæos cœlestes, & eorum hîc loci reposita sacra Lipsana venerationis zelo impulsî, hunc præ alijs locum, pretioso sacrorum Pignorum Thesauro toto Orbe famosum, ipsi delegere obeundis solemnioribus negotijs ex eo dignorem, quod MM. Thebaorum apud Numen Patrocinio suffulti, felicius ea conficere se posse sperrarent: Hîc, inquam, loci substitere *Summi Pontifices*, videlicet Stephanus Papa III. anno 753. Leo III. 804. Leo IX. 1049. Eugenius III. 1146. *Romani Imperatores*: Carolus Magnus 806. Carolus IV. 1383. Sigismundus 1414. *Reges*: Guntranus 595, Sigismundus iteratis vicibus. Pipinus 753, Rudolphus 888. Conradus 909. Rudolphus 1014. *Principes Sabaudiæ* crebris vicibus. *Sacri Antistites*: S. Hylarius Pictaviensis vel circa 359. quod iussu Constantij Imperatoris, Arrianis Episcopis, ne eorum doctrinam impugnaret, suadentibus, ex Oriente in Gallias est reversus, vel

vel seriūs anno , quo stetit Mediolani contra Auxentium. *Ex Greg. Turon. Spondano, Galliā Christianā Sammarth: vbo: Pictav. Episcopus* Item S. Martinus Turonensis anno 375. vel paulò pōst ex *Epist. Decani & Canonicorum Castrī novi ad Philippum Archiepiscopum Colonensem apud Surium post bīst. Passionis S. Mauritij & Soc.* Item S. Gaudentius Eporediā oriundus, Episcopus Novariensis. 368. fors eā occasione quā jussu Valentis Arriani exulavit. Item Avitus Episcopus viennensis , cæterique PP. Concilij Epaunensis, 517. quos inter S. Venantius Albenfis, seu Vivariensis Episcopus , Sigismundi Regis Filius , *Breviario* , & *Martyrologio Ecclesiæ vivariensis* ita perhibentibus apud Samarth: vbo: *Vivariensis Episcopus* in annum 517. dein ex ijsdem PP. S. Apollinaris, S. Claudius Vesunctionensis, quorum vitæ, & sanctitatis elogia passim scriptores habent. Item S. Burchardus Lugdunensis 1070. S. Annon Colonensis 1070. aut circā. S. Anselmus Augustensis 1100. S. Hugo Gratianopolitanus cum Amedeo Sabaudiae comite sub initium sēc. XII. Antelmus Bellicensis 1174. Petrus

trus Tarantafensis 1138. & 1140. Bernardus Tarantafensis 1320. S. Franciscus de Sales Gebennensis 1614. *Ex Chron. lib. Cœnob. Agaun. & Castri Episcopalis Majoriae Casp. Lang. p. 1. l. 2. a. 8. Murer in Theatro Ecclesiast. Ribadeneira tom. 1. 22. 7bris. Henric. Murer in Helvet. S. aliisque suo loco citatis.* Sed longis anté temporibus nempe circa saeculi V. medium suam in Sanctos Agaunenses venerationem testatus est S. Romanus Abbas Monasterii Montis Jurensis, ad Eorum visenda, & honoranda Sacra Lipsana instituto itinere, tametsi miraculo prope Gebennam edito, forté illo subitanæ curationis novem leprosorum, quod narrat Henr. Murer cit. n. 5. c. 7. de SS. Episcopatus Basileensis: elegerit mox redire in solitudinem, ne populi honoribus obrueretur. *Bolland. Tom. 3. Febr. n. 9. quin & S. Policarpus Senonensis Episcopus Romam suscepto itinere Thebaeorum sacra Lipsana Agauni veneratus est, antequam Sigismundus Cœnobium fundasset, in ipso transitu, & loco demortuus. Bolland: Tom. 2. Febr. p. 546.*

**Et audet etiamnum Heterodoxus  
ali-**

aliquis Regios, & sacros tot illustres Christicolas , tantâ dignitate , & Authoritate viros , erroris arguere , aut fatuæ superstitionis , quòd Thebææ Legionis sacra offa , Agauni , tanquam Martyrij loco , reposita , agnôrunt venerabundi ? quanta in uno homine temeritatis noxa !

Cæterùm si scriptor hic inconsultus cogitatione assequi nequeat Maximiani in dolem ad id devenisse atrocitatis , ut de ipsis viris , qui non aliena stipendia merebantur , sed ipsius castra propria sequabantur , Legionem integrum è medio tolleret , consulat Historicos , & Immanitatem Imperatoris deprehendet , erat namque Aurelio Victore Teste Epit . p . 222 , *Herculeus ferus naturâ , ardens libidine , consilij stolidus . Et teste Eutropio l . 9 . e . 27 . p . 127 . propalam ferus , & incivilis ingenij asperitatem suam etiam vultus horrore significans . Dein ex ejusdem Eutropij testimonio in omnibus severioribus consilijs Diocletiano obsecutus , cuius lubedini & immanitati hac Christicolarum persecuzione , & Dijs adversantium Militum internecione obsequium præstare se posse non dubitabat .*

Decimationem autem fuisse pridem  
in usu memorant cum alijs Livius l. 2.  
ab U. C. Dec. 7. Polybius, Seneca &c. qui  
ultimus refert Cambysen non provis  
commeatibus per invia , & arentia loca  
traxisse omnem bello utilem turbam , &  
cum defecissent etiam tenerima fron-  
dium coria igne mollita, radices, herbæ,  
quibus sustinebant famem , decimum  
quémque sortitos esse in alimentum ,  
donec timuit , ne & ipse vocaretur ad  
sortem , tunc demum dedisse signum re-  
ceptui- l. 3. *de ira c. 20.*

Verum cum Adversarius noster ad  
Politices regulam potius, quam ad iñatam  
Maximiani Indolem barbarem metien-  
dum velit super hujuscē Facti veritate ju-  
dicium, hinc etiam illud ei stomachum  
movet, quod in ipsorum legitur histo-  
ria, videlicet Thebæos milites, viros a-  
lias manu strenuos, sub casside & cly-  
peo atque in acie ferri versari assuetos,  
abjectis armis elegisse mori, cum non  
una, sed plures viæ eis paterent sese mor-  
ti eripiendi - cecy, inquit ille, *n'a pas été*  
*mis sans deffain, l'Autheur a voulu prévenir une*  
*difficulté, que ses Lecteurs pouvoient lui faire.*

il at prévû, qu'on auroit de la peine à croire, que toute une Legion , qui avoit les armes à la main , se soit laissé immoler sans faire la moindre résistance. Censebat proin is, deducisse illustres Bellatores vel obsistere Maximiani trucibus Imperijs , aut vim vi quantâcumque possent, repellere, aut Imperatoris stipendia, & Castra deserere, parùm scilicet versatus in schola Christi , qui econtra ad inimicorum, & Persecutorum dilectionem nos tantopere hortatur , neque vult vim repelli , sed percutienti alteram maxillam præberi , redique pro malo bonum : Hanc autem fuisse continuam Ecclesiæ Catholicæ praxin , communémque , & unam SS. PPum sentiendi , ac docendi Methodum, dilucidè ostendit cit. Dom Joseph de l'Isle c. xi. at verò semper adhuc Adversarius noster animo suo persuasum habet , malè consuluisse gloriæ suæ Armatorum Legionem Thebæam , dum præbuit velut intermis , colla , & guttura hostilibus machæris : ego proin de hoc articulo melius edocendum , ut , quantum intersit inter gloriam fluxam , & prophanam , quæ Philosophorum est , & inter gloriam illam

Iam veram, & immortalem, quæ SS. Martyrum est, dignoscat, amandatum cupio ad unum *Oforium l. 3. n. 2. de Nobil. Christianâ* sic differentem: Quām multi Milites, quod genus hominum plerumque ab omni studio sanctitatis abhorret, mortem pro Christi -laude suscepit omnibus coronis, & triumphis antetulerunt, nec est necesse, omnes Mauritios, Sebastianos, Catharinas, Agathas, Gordianos annumerare, hoc satis constat, innumerabilem, atque prope modum infinitam multitudinem fuisse, quæ ad Illius virtutis eximia laudem pervenerit, cuius imaginem vix homines excellenti Ingenio prædicti post longam exercitationem tenuerunt, quod satis indicio esse potest, longè aliud virtutis, & constantiaz genus istud esse ab eo, quod Philosophorum præceptis, & litteris continetur, quod non humanâ Disciplinâ, sed divino munere, atque dono fuit Christianis mentibus instillatum, summum Christiani Nominis, atque nobilitatis ornementum, certissimumque sanctissimæ Religionis Testimonium.

Dein cùm Anaxarchum, Syracusanum Thrasonem, aliósque veræ licet Religionis expertes, diris supplicijs lacertos, animi constantiam invictam præstulisse *Oforius* advertisset, subjungit: At quām obscura est illorum Constantia, si ad Nostrum virtutem conferatur, si enim causam respicias, illi Tyrannorum odio, à quibus Iasii erant, sup-

plicia perferebant, Nostri Christi amore, à quo  
Divinis beneficijs ornati fuerant, tormenta omnia  
levia putabant . . . Illi deinde in desperatio-  
ne omnium fortunarum dignitatis speciem ali-  
quam retinuerunt, Nostri cùm sibi, utrum vel-  
lent, liberum fuisset. non inviti tamen mortem  
claram cum ignominiosa vitâ commutârunt: si  
ad numerum advertas, ridiculum est, paucissi-  
mos infinitis opponere: Hanc tu Disciplinam,  
è quâ tam præclara documenta virtutis extite-  
runt, contemnis? hâc Institutione, , , quæ  
tantam multitudinem in laudis, & gloria studium  
incitavit, abjectos animos, atque demissos effici  
contendes? quæ est ista mentis perversitas, ut  
virtutis umbram admireris, veram virtutem pro  
nihilo habendam putas?

Nostri itaque Thebæi in scholâ Chri-  
sti sacratiorem gloriam, veræ laudis stu-  
dium, & Christiani nominis immortalis-  
fatem edoceti, nullâ re glorioseores se fo-  
re existimabant, quâm si impijs Dijs Thu-  
re negato, vitae suæ prodigi, per vulne-  
ra, & mortem spontaneam Christo Regi  
suo præclarum testimonium redderent,  
quin & sibi ipsis injurios fore sentiebant,  
si vel turpi fugâ, vel militari obſistentia  
optatissimam Martyrij occasionem sibi  
adimerent, optatissimam, inquam, illis  
Ecclæsiae primis temporibus, queis alij  
alij

alijs fortiores certatim ad glorioſas ſpon-  
taneæ pro Christo necis adōreas convo-  
labant. *Ubi enim priuīm Christi fama*, ait I-  
dem Oſorius Sylvensis Epifcopus l. 5. de  
gloria n. 5. *que quidem incredibili celeritate*  
*omnes Terræ fines peragravit, ad exteras*  
*Nationes pervenit, incredibilis hominum mul-*  
*titudo ingenti admiratione perculta, & amo-*  
*re tam Divine virtutis incensa, relictis inve-*  
*teratis, atque penitus in ſitis opinionibus priftina*  
*in ſtituta omnia repudiat, omnibusque vita*  
*comodis neglectis ita Christum per omnes flam-*  
*mas fecuta eſt, ut nullis minis, nullis terrori-*  
*bus, nullis exquisitis ſupplicijs ab illius conju-*  
*etione divelli potuerit.* Sed non arbitror  
diutiū immorandum quærēndis in re li-  
quidiſimā comprobandæ veritatis argu-  
mentis jam tot antiquorum ſcriptorum  
teſtimonio confirmatæ, quos inter Eu-  
cherius Lugdun. Greg. Turon. Ve-  
nantiuſ Fortunatus, Victor Maſſiliens.  
Avitus Epifcopus Viennens. in Homilia,   
quam in ipsâ SS. Agaunenſium Baſili-  
câ pronunciavit, & quidem ex con-  
ſuetudinis debito, ut ipſe afferuit, ex  
quo conſequitur pridem ante illos  
annoſ cultam fuiffe SS. Thebaeorum fe-

stivam memoriam , quorum *passio*nis hi-  
storiam censet scriptam reliquisse bea-  
tum Theodorum Octodurensem Episco-  
pum , vixit autem hic tempore Concilij  
*Aquileensis* primi anno 381 . cui interfuit .  
Quidquid demum ad evertendam Mar-  
tyrij hujusce veritatem obtrudunt bini  
*Heterodoxi Joannes du Bourdieu in Differt.*  
*bifl. & crit.* Item *J. le Sueur bifl. Eccl. in*  
*annum 297.* relati apud Morerium vbo ;  
*Legion Thebaine.* insigniter refellit *Dom.*  
*Jos. de l'Isle* libro toto , cui Tit. *Defense*  
*du Martyr de la Legion Thebaine.*

---

### CAPUT III.

*Quo anno passi sunt Thebae Legionis  
Martyres ?*

**E**X Legionibus Thebaeis quatuor spe-  
ciale nomen sunt adeptae ex *Pancyro-*  
*lo not. Imperial. c. 26.* nempe *Diocletiana*  
*Thebaeorum, Maximiana Thebaeorum,*  
*Flavia Thebaeorum, Felix Valentis The-*  
*baeorum :* harum quænam pro confes-  
sione Christi passa sit Agauni , seu quo-  
nam istorum nominum appellanda ve-  
niat

niat illa , quæ apud Agaunenses cruentæ  
necis consummatione Martyrij gloriam  
assecuta est , versatur in quæstione . Hen-  
ricus Murer in Helv . S. in vitâ S. Mauri-  
tij afferit , ex Legionibus Thebæis tres  
omnino gloriosa Martyrij retulisse tro-  
phæa , unam sub Maximiano , alteram  
sub Diocletiano , 3.<sup>am</sup> sub Flavio Con-  
stantio Imperatoribus ; *Flaviam* ( à quo-  
cumque Flavio demum hoc naœta sit no-  
men ) non esse illam , quæ apud Vera-  
gros subiit Martyrium convenienter om-  
nes , *Felicem* autem dictam volunt non-  
nulli illam Agaunensium Martyrum ar-  
gumento ex homiliâ S. Aviti viennensis  
Episcopi electi anno 500. dictâ in Basili-  
cæ SS. Agaunensium Innovatione , quæ  
infit .: *Præconium Felicis Exercitus &c.* ar-  
bitrantes inde Legionem illam *Felicis* vo-  
cabulo esse appellari solitam : Item *Fe-*  
*licem* vocant Greg. Turon. l. 1. de glor.  
MM. c. 74. Venantius Fortunatus l. 8,  
carm. 4.

Tali fine polos *Felix Exercitus intrans* ,  
*Junctus Apostolicis plaudit honore*  
*choris.*

at si Legio *Felix* erat valentis Thebæo-  
C 4 rum

rum ex dicto Pancirolo relato apud Græv. tom. 7. pag. 1426. non videtur, quia id nominis adaptari possit Agaunensibus MM.<sup>bus</sup> quoniam *Valentius* Arriani persecutio, eaque potissimum in SS. Præfules, fuit multis annis posterior. *Lambrecht in cat. Temp. ser. 5. Sæc. IV.* post quam & Cæsarum furorem cessasse, ait. *Diocletianam* autem, eò quod primitus Sacramento militari obstricta fuerit Diocletiano, vel *Maximianam* Thebæorum, eò quod demum sub Maximiani Imperio stipendia meruerit Legionem nostram seu Martyrum Agaunensium dici potuisse non dissentit D. Joseph de l'Isle *in bist. Leg. Theb. c. I.* hac porro in varietate seu dubietate judiciorum ipse in ambiguum abripior. Illud verisimilius videatur, cum Legiones hæ fuerint ex Comitizensibus, ut scribit cit. Pancirolus, eò quod Imperatorem, quo vellet, comitarentur, inde *Maximianam* Thebæorum dictam fuisse illam MM.<sup>um</sup> Agaunensium, à quo tempore destinata fuit Comitatui Maximiani adversus Bagaudas proficiens. Sed si diversa sunt scriptorum judicia circa Epitheton Legionis SS. Agau-

gaunensium ex prædictis quatuor tribuendum, non minor est sancè opinio-  
num diversitas circa annum, imò sæcu-  
lum eorumdem Martyrio seu cruentæ  
pro Christo neci assignandum. Stant alij  
pro sæculo iv., sub cujus initium The-  
bæorum horrenda strages Maximiani cru-  
deli Imperio contigerit, sed plurimi con-  
tendunt pro sæculo III. cujus exitus præ-  
memoratam Christianæ Legionis cædem  
horrente universo Orbe spectaverit: ex  
ijsdem scriptoribus sigillatim dictæ *Paf-  
fionis* annum indicat

Joannes Suffren	292. um	Baronius Tom. 2. n. 1.
Petrus Ribadeneira	296.	- - - 297.
Petrus de Natalibus	280	Labæus Tom. 1. chron.
Petrus à Rotâ Ord. Prä- dicatorum	- 280.	p. 2. - - 286.
Amedeus Salijs Brev.		Lambrecht in Cat. temp. 286.
- - -	279.	Chronica Sabaud. c. 18.
Ado Vienn. in Chron.		- - - 300.
- - -	283.	Hermannus Contractus
Henricus Murer in Helv. S.	288.	- - - 300.
Joannes Gabriel Biscio- la - -	292.	Chronica Eusebij 306.
Laurentius Surius	292.	Baldazarus in Thebai- la de - - 306.


In tantâ opinionum varietate quis ob-

vio obtutu statim perspiciat, sitne ad sæculum iv. an 111 & quem ad annum ex præcitatis referenda *Passionis Martyrum nostrorum Historia?* cùm & Dioceſeos Sedunensis annales annum non desig-  
nent, nemo, arbitror, ſinistrâ mentem meam perſtringet censurâ, ſi in articulo tantæ dubietatis hæferit ſuspenſa, nec indubia.

Cæterū sagaciori præ alijs indagi-  
ne hujusce cruenti aëtûs tempeſtatem  
diſquiſiſſe videntur *Labeus in chronol.  
temp. Ruinardus Aël. Mart. p. 288. n. 7.  
Tillemont bift. Eccles. tom. 4. p. 426. & 698.  
Baillet in vit. SS. die 22. 7bris. in unam  
hanc ſententiam abeunteſ, videlicet The-  
bæorum Martyrium referri convenien-  
tiūs ad annum 286. quo Maximianus in  
conſortium Imperij affumptus exercitum  
eduxit in expeditionem adverſus Aman-  
dum, & Æmilianum Bagaudarum Primi-  
pilos, & ad diem 22. 7bris, in quem con-  
veniunt omnino Martyrologia pro cele-  
branda memoria SS. MM. Agaunensium.*

Cœpit autem mox florere Christico-  
larum Pietas, & honor in SS. MM. <sup>er</sup> A-  
gaunens. nam, ut ait *Baldazanus l. 2. Sac.*  
*Tbe-*

*Thebaidis*, & S. Helena Constantini Mater cùm repeteret Italiam , curavit illic loci construi Ecclesiam ineunte sæculo IV. S. Martinum Turon. Episcopum sub finem Sæc. III. S. Romanum & S. Polycarpum eòdem Stæ peregrinationis iter instituisse circa medium Sæc. V. quin & frequentem illâ jam ætate ad SS. Thebæos peregrinationem fuisse , viñum est superius , qui susceptæ Devotionis zelus varia ex diversis locis , ac provincijs aurí & argenti , rerûmque aliarum donaria honori , officiisque Sanctorum deferebat Teste Eucherio in *Epistolâ ad Salvium Episcopum* , qui & affirmat SS. MM.<sup>um</sup> pio interventu crebra illic loci accidisse prodigia , claudis gressum , ægris valetudinem &c. mirâ Numinis operantis manu esse allatam, Unde S. Greg. Turon. enunciavit c. l. de glor. *MM.* c. 76. magnam patere virtutem apud MM.<sup>um</sup> Theb. sepulchra. *Cit. Eucherius apud Surium.* Item cit. *Baldazanus.* *Henr. Murer.* *Casp. Lang.* *Historischer Grund-Riß.* l. 1. c. 2. a. 8.



## SECTIO II.

*A Sæculo IV. usque ad VII.*

### CAPUT I.

*De Initio Episcoporum Octodurensium.*

**T**Ametsi ipso jam novellæ Ecclesiæ primordio, quibusdā Galliæ Civitatibus dati sint Episcopi, ut vidimus sect. i. c. i. quorum proin vigilantia, ac dilatandæ Fidei studium in finitimas se se Provincias extendebat, ubi ubi demum reperirentur, qui Christo nomen dedissent, missis illuc Presbyteris, qui partitis in Parœcias Fidelibus Curiones præessent, verbum Divinum, & Evangelicæ Legis observantiam in ipsorum Episcoporum scholis haustram annunciaturi, hinc, antequam suum naëta esset Episcopum Vallesia, arbitrantur nonnulli, Viennensis Archipræfulis curam in vallenses Christicolas se se extendisse, alij potius Arelatensis, à cuius Metropoli dicunt Sæculo V. separatas fuisse Dioceses Gebennensem, &

Taran-

Tarantasiensem, ab hâc autem exemptam fuisse Sedunensem Ecclesiam videbitur suo loco : at cùm augesceret in dies credentium numerus , paxque Ecclesiæ es- set reddita ( nam debellatis viâtore Constantio Cæfare Allemannis apud Lingones, hostes Populi Rom. ab Armis desti- tere, & cùm Successores Imperatores om- nes dempto Juliano Christianam Reli- gionem profiterentur , cessavere & per-secutiones in Christicolas ) destinavit S. sedes Episcopum Vallensibus , definitis creditæ Diœceseos spatijs , quippe anno 300. missum esse Oggerium Episcopum, & sedem fixisse Octoduri docent scriptu- ræ quædam Cœnobij Agaunensis. Ast quoniam Antistitem hunc non refert E- piscopalium Annalium receptus Sylla- bus, nec Canonicorum Sedunens. Castrî Valeriæ , idcirco Episcoporum Vallen- sium Catalogo Oggerium non inferui.

Primum igitur numerant chronici li- bri nostri Theodorum, hujus etenim ad Vallenses Missionem , & sedem Octoduri fixam scimus etiam ex Concilio Aquile- ensi , cui cum D. Ambrosio adstitit , sex- to loco subscriptus in eo his verbis :

*Tbea*

*Theodorus Episcopus Oſtodorensis.* Hoc nenippe in Concilio Palladij heterodoxa dogmata damnata fuere anno 381. quem & Theodorus noster damnavit hanc sententiâ relatâ in decursu Concilij : *Theodorus Episcopus Oſtodorens. dixit, Palladium, qui Christum DEum verum coæternum Patri negavit, nec Christianum bunc, nec Sacerdotem ullo modo censemus.* Celebrata autem est hæc synodus Siagrio, & Eucherio Coſs: contra binos Episcopos Arrianos dictum Palladium, & Secundianum Praefide, & interrogante S. Ambroſio; Palladius, qui cum Arrio ſolum Patrem in Divinis æternum dicebat, & cujus blaſphemias ſecondūm Sabinum Episcopum majores erant, quam Arrij, multūm tergiversatus est respondere, at Episcopi Catholici, afferentes Coæternitatē Filij DEi, anathema dixerunt Palladio, & omni, qui Filiū DEi coæternū cum Patre non confiteretur Item omni, qui Christum Filiū DEI Dominum verum non dixerit. *M. L. Bail in ſumma Concil. Tillemont in bift. S. Mauritij. Baronius &c. cit. Casp. Lang:*

*Andreas Sauſſayus, in Supplēm. ad Martyrol. Gall. X. Cal. April. Sic enunciāt :*  
 „ Seduni in Gallia sancti

„ Theodori , aliás Theodorici Episcopi , &  
 „ Confessoris , qui sui Sæculi clarum lumen cùm  
 „ apud Octodurum Veragtorum Cathedram E-  
 „ piscopalem ( quæ demum Sedunum Vallesio-  
 „ rum translata est ) teneret , ad Concilium aqui-  
 „ leensem , quod Damaso papâ , & Gratiano Augu-  
 „ sto jubentibus celebratum est aduersus Palla-  
 „ dium , & Secundianum Episcopos Arrianos  
 „ dogmata renovantes , unus scilicet ex proprijs  
 „ Galliæ Episcopis invitatus accessit , sanctique  
 „ Ambrosij , illic Majestatem Unigeniti æterni Pa-  
 „ tris aduersus horum Impiorum sceleratam per-  
 „ fidiam strenuè propugnantis suffragator dam-  
 „ nationis sententiæ , quæ contra illos lata est ,  
 „ sacros inter Proceres conspicuus subscriptis.  
 „ Dehinc ad sedem reversus cum triumpho ,  
 „ orthodoxam fidem sedulò excoluit , verbo  
 „ autem & exemplo cùm gregem suum Pastor  
 „ bonus sustentasset , locupletatus fœnoribus  
 „ gratiæ ad coronam justitiae latus de bonæ mi-  
 „ litia felici successu properavit .

Cæterùm de Theodoro primo cele-  
 bris est memoria , & mentio in scriptis  
 Eucherij Episcopi Lugdunensis , mittens  
 enim SS. Thebæorum historiam Martyrij  
 Salvio Episcopo , quam ipse ab Isaac Ge-  
 bennensi Antistite & cuius nepti Sede-  
 leubæ , vel Sedelimbæ nupserat Gonde-  
 gifillus Rex , acceperat , credere se , ait Eu-  
 cherius ,

cherius, eandem historiam Isaacium accepisse à Beato Theodoro Octodurensi , nec abs re & veritatis argumento , non poterat enim non esse curæ Vallensium primo Episcopo , quin famosam adeo Thebæorum pro Christi amore Intercessionem haetenus forte , et si in ore omnium , ac traditione versaretur , à nemine scriptam , in scripturam redigeret , in postera sæcula luculento Heroicæ *Paf-  
fionis* Testimonio futuram. Idem innuunt *Legendæ* , & Indigitamenta Sedunensis Ecclesiæ , videlicet Theodorum nostrum historiam Martyrij Militum Thebæorum Isaaco Gebennensi transmitisse , communicandam Episcopis Galliæ , quam Eucherius Lugdunensis Episcopus omnibus communem fecerit : affirmant insuper , beatum hunc Antistitem in propulsandis superstitionum tenebris , atque I dolorum cultibus evertendis fuisse potentem , ac felicem , neque solùm in Vallesio , quæ supererant Idolorum Phana subvertisse , sed minori quoque Burgundiæ Christianæ Legis Instituta annuntiâsse *Golut bift. de la Franche Comté*. Hæc proin nonnulli perperam tribuunt Theodoro

II. ut liquebit ex Sect. 3. c. 1. cum credibile non sit adhuc Sæc. VI. seu tempore Theodori II. & Sigismundi Regis apud Vallenses Idolorum cultum superfluisse. Sunt econtra , qui nullo prorsus fundamento tribuunt Theodoro I. in colligendis Thebæorum Reliquijs navatam operam , & in construendâ Ecclesiâ acclivî honori SS. Agaunensium adjutorem extitisse Beato Ambrosio Abbatii, sed horum aliquid verius convenire Theodoro II. videtur suo loco. Denique idem Theodorus noster interfuit Synodo Mediolanensi cum S. Ambrosio , aliisque Episcopis anno 390. ut testatur eorum Epistola ad Siricium Papam , in quâ subscriptus est 6<sup>mo</sup> loco ante Episcopum Arausicanum his verbis : *Theodorus Episcopus Octodurensis.* Quâ in Synodo damnata est doctrina Joviniani &c. præferentis, aut saltem æquiparantis nuptias virginitati , cuius & cætera dogmata refert Hyeron. l. 2. contra Jovinian. Eum demum Honorius Imperator servili affectum supplicio relegavit in Insulam aliquam , cæteris Episcopis Sectarijs in diversa loca disperfis. S. Ambros. Ep. 42. S. Hyeron. cit. l. Baron. in annos 382. 390. 412.

Hâc pariter ætate volunt vixisse He-  
liam Vallensium Episcopum , qui Patriâ  
exulare coactus fit , ab Arrianis expul-  
sus , inde contulisse se Romam , & ad ma-  
nus Summi Pontificis dimisisse Episco-  
patum , ex Urbe autem reducem adiisse  
ad S. Julium Ortanum & Ecclesiam ibidem  
loci ab ipso extractam consecrâsse , in cuius  
regimine & administratione eidem de-  
mortuo successerit , sed nec abesse speciem  
veri in narratione hac historicâ advero ,  
seu quia & continua apud nos traditio  
viguit , Heliam nostrum aliquando Di-  
vum Julium convenisse in Insula Ortæ ,  
nunc ab eo *S. Julij* dictâ , seu & quod nar-  
ratione præfatâ ad amissim descriptæ  
sint plures illius temporis circa vitam  
utriusque *S. tii* viri coniunctiones : Stant  
sanè pro veritate ejusdem historicæ In-  
formationis , quæ sequuntur : nam præ-  
ter alia tam Collegiatæ *S. Julij* quam Ca-  
thedralis Ecclesiæ Novariensis documen-  
ta , quibus traditur , *S. Heliam* vixisse tem-  
poribus Beati *Julij* , eidem in regimine  
illius Ecclesiæ successisse , docemur id ip-  
sum ex antiquissimo Exemplari historiæ  
*S. Julij* in membranis scriptæ , & in dictâ  
Col-

Collegiatâ continuò asservatæ : ibi : Post  
verò ejus venerandum excessum ( S. Julij )  
Helias extitit ejus successor , qui etiam Pres-  
biterij fungebatur honore . Dein , cùm me-  
minit obitūs , ac sepulturæ S. Audentij  
Patritij Mediolanensis , subdit : Audentius  
non adeo longâ interpositâ morâ . ( post mor-  
tem nempe S. Julij ) Mediolani defunctus  
est . . . . Tollentes itaque eum ejus Do-  
mestici , inde deduxerunt ad Insulam , in quâ  
SS. mus vir ( Julius ) erat sepultus , Helias  
autem cum crucibus & candelabris Clerico-  
rumque psalmodijs , dignisque exhibens ex-  
equias juxta virum Dñi Julium , bunc tradidit  
Sepulchro .

Item Mombritius in vitâ S. Julij sic  
refert : post verò tempus ejus . ( Julij mortui )  
Helias extitit , qui ejus locum adeptus est ,  
dignitate Presbyterij fungens . Quoniam  
verò apud nos etiam pro veritate com-  
pertum habetur , D. Heliam ad S. Julium  
se contulisse , & cum eo annos traduxis-  
se , idque habent veteris Officij lectio-  
nes , quem & Demetrio coævum dicunt ,  
unde & in Collegiatâ Castrî Canonicorum  
Sedun . Valeriæ asservatur exposita effi-  
gies depicta S. Heliæ tanquam Peregrini

adventantis, & salvere jubentis beatum  
Julium Infulâ ad ipsius pedes positâ, &  
inferiùs hac Inscriptione - - - *Illmo &*  
*Rdmo Dño, Dño Hiltoprando Episcopo Sedunens.*  
*Præp. & Can. Collegij S. Julij ex antiquo sua*  
*Ecclesiæ. 1626.* Hanc autem veteris Altar  
aris D. Heliæ dicati tabulam in Basilicâ  
S. Julij vidisse testatur *Carolus à Basilicâ*  
*Episcopus Novariensis. in sua Novaria l. i.*  
*Term. Inf. S. Jul.* Vetustate, ut ipse op  
natur, ducentorum annorum pœnè con  
fectam, his subiectis verbis: *S. Helias E*  
*piscopus Sedum.* vixit autem Carolus anno  
1600. imò & alijs compluribus seu pictis  
imaginibus, seu sculptis simulachris tam  
antiquæ quam modernæ Ecclesiæ S. Ju  
lij consimili specie expressum videri S.  
Heliam, quem & Annales nostri, & pictæ  
Tabulæ tam Castrorum Episcopaliū  
*Turbilionis & Majoriae*, quam Canonico  
rum Sedunens. *Valeriae*, & in ipsa Cathe  
drali nostrâ à prioribus Sæculis referunt  
inter SS. Episcopos Sedunen. Hinc ne  
que in isto articulo Carolus dubius hæ  
rere debuit, quin & Heliam nostrum in  
ter SS. Confessores locatum, officio quo  
que communi Pontificum proponeret  
colen-

colendum, quo & nostra Cathedralis, & tota Diœcesis eundem venerari consuevit, præsertim cum in dictæ Ecclesiæ Rituali ex membranâ confecto inter Festa SS.<sup>m</sup>, quorum sacra corpora inibi requiescunt, festum quoque veniat sancti Heliæ his verbis : *Festum S. Heliæ Presbyteri, & Episcopi Sedunensis, ut alibi babetur, qui immediate succedit beato Julio in hac Insulâ, & in regimine ejus Ecclesiæ, & qui Eius corpus sepelivit.*

Itaque consideratis penitus argumentis, & utriusque Ecclesiæ Testimonij, quibus Heliam Episcopum Vallensium fuisse comprobatur, cum accedat utriusque Ecclesiæ immemorabilis, & invaria-  
ta traditio, eundem Episcopali dignitate fuisse apud Sedunos, & ad S. Julium se contulisse, vitamque sociam duxisse cum eo, atque ibidem loci supremum diem obiisse, jam videtur & illis, & nobis nihil dubitationis relinqui, quo minus Antistitem nostrum S. Julio coævum agnoscamus, idque solum ulteriori indagine investigandum, quo Sæculo, quibusve annis vixerint ambo? sed & huic quæstioni fiet satis in primis ex præcitata hi-

istoriâ S. Julij sic enunciante : „Sed Beatus  
 „ Julius unâ cum Juliano Divinâ Dispensatione  
 „ Salum navigare disponunt, navigantibus autem  
 „ eis lacertoſo certamine atque pellentibus fla-  
 „ tis Histrum cœlitus transnaverunt, deinde ve-  
 „ rò ignota carpentes itinera Duce Domino ad  
 „ glorioſum Imperatorem Theodosium perve-  
 „ nerunt. Julianus, ait Petrus de Natalibus l. 3. n.  
 „ 36. Frater beati Julij fuit, hi duo Fratres à Theo-  
 „ dosio Imperatore X̄stian.mo obtinuerunt tem-  
 „ pla DEorum ubique reperta deſtruere , & Ec-  
 „ clesiās ædificare , mandavitque Imperator om-  
 „ nibus prædictos fratres adjuvare &c. Subinde  
 narrat repentinae à Deo animadversionis  
 eventum in aliquem , qui finxerat mor-  
 tuum , ut in constructione Ecclesiæ *Gau-*  
*diani* Mandatum Imperatoris arte elude-  
 ret, privarétque Ecclesiam Operis.

Adeunt proin Julius, & Julianus, Patriâ Myrmidones , initio Peregrinationis suæ Theodosium propagandæ Christianæ Religionis zelo inducti , & , ut fert dicta Historia , à piissimo Principe litteras impe- trant ad Rectores Provinciarum , quarum subinde præſidio obeunt longam , ac diu- turnam Missionem sacram ; postremò cùm ad Insulam hanc effet perventum , ipsam sibi beatus Julius quietis locum de-

deligit, multorum annorum itinere, & laboribus fractus; huc & Helias noster ad S. virum se contulit tempore equidem non certo ijs, qui vitæ, & Gestorum coniunctiones SS. Julij & Juliani ex illis duntaxat, quæ habentur in eorum Officio canonico per S. Rom. Sedem pro Ecclesijs Novariens. Mediolan. & Vercellensi approbato accuratiùs inspexerint; in eo namque legitur, geminos hosce viros Dei Rom. Imperij Regiones vix non omnes, præsertim quæ à Boreâ, & occiduo sole occurrunt, multiplici, varióque itinere attigisse, Romam usque progressos, ad aquas salvias diu substistisse, inde toto Latio lustrato, innumeros undique ad Christianæ Fidei profienda dogmata prædicatione, virtutibus, & miraculis editis traduxisse, in Liguriam tandem, & Insubriam delatos esse, in quâ S. Julius centesimam Basilicam ædificârit, Juliano Gaudiani, quo loco sibi consistendum putârat, beato fine præmortuo. Horum de Heliâ nostro potiorum notitiam præbuit mihi clarissimus vir, Dom. Angelus Dominicus de Federicis Præpositus antiquissimæ Ecclesiæ

Canonicorum S. Julij procurantibus  
nevolis officijs lectissimi amici mei, præ-  
stantis viri, Dom. Joannis Philippi de  
Torrente almæ Civitatis Seduni Proto-  
Grammatéi &c. Habet autem S. Ju-  
lij sub Theodosio Imperatore etiam  
**Martyrologium Rom. 31. Jan.** tametsi eun-  
dem sibi quoque vendicet Ecclesia Me-  
diolanensis. **Nombr. tom. 2.** factâ tamen in  
Notis mentione Festi, & Officij Nova-  
riensis Ecclesiæ. Vixit proin Julius tem-  
pore Imperatoris Theodosij, & hunc  
Principem adiit verisimilius initio ipsius  
Imperij circa annum 383. quo tempore,  
ut narrat *Theodoreetus lib. 5. b. 5.* Rhodas Scy-  
thicarum copiarum Dux, traje<sup>to</sup> Danu-  
bio Thraciam igne, ferróque vastabat, ul-  
timum Constantinopoli exitium allatu-  
rus, nisi ope Numinis Theodosium pro-  
tegente tam Rhodas, quam Exercitus ejus  
antè periisset, igne cœli absumptus: De-  
in cum litteræ Imperatoris præfatæ pro-  
fectum na<sup>c</sup>tæ sint Expeditionis sacræ, ac  
diuturnæ, non obscurè id denotat vixi-  
se interim Theodosium litterarum Au-  
thorem, subque ejus auspicijs Christia-  
næ Legis Instituta Gentibus annunciasse  
gemî-

geminos viros Apostolicos , quibus pro-  
in si detur annorum circiter 10. vel 20.  
cursus peregrinationis , inde non potest  
non consequi , eorum appulsum in Insu-  
briam , subinde adventum Heliæ Episco-  
pi , ac mortem ipsius Julij evenisse sub fi-  
nem Sæculi IV. aut ad initium V. , neque  
id repugnat Annalibus nostris , quando-  
quidem de Theodoro I. Episcopo Octo-  
turens. non constat , quamdiu vixerit  
post annum Concilij Mediolanensis 390.  
neque annum denotant , quo Florenti-  
nus adiit Episcopatum , cum annus 411.  
sit obitus , & Martyrij ipsius , adeoque  
intercurrit annorum spatium sufficiens  
pro Cathedrâ Heliæ & Florentini , quam  
neutrum tenuisse diu , existimo : accedit ,  
quod Heliæ Episcopi Exilium , seu fuga  
ex metu Persecutionum ab Arrianis aptè  
respondeat ætati , quâ constat Pestem il-  
lam lethiferam Arrij multum quoque fe-  
cisse negotij vicinarum Gebennarum Epi-  
scopis , Nicephoro Theolasto , & Successori-  
bus , Hormisdæ Fratri , qui exulavit Arria-  
nis persequentibus , item Pappulo , Grego-  
rio &c. idque jam ab anno 334. quo obiit  
*Eleutherius Nicephori Antecessor.*

*nunt. cit.* ab ijsdem seclarijs persecutio-  
nes sunt passi Maximus Trevirensis An-  
tistes anno 386. Victor Wormatiens. an-  
no 390. quo in Synodo habitâ Coloniæ  
exauthoravit Euphratum ejusdem loci  
Episcopum Arrianum, Item alij complu-  
res apud eundem Pantaleonem in annos  
cit. & citeriores.

Praefatæ equidem Tabulæ Novarien-  
ses, & historia Heliam dicunt *Sedunensem*  
Episcopum, cum supponatur econtra,  
iliâ ætate Vallensium Episcoporum se-  
dem fuisse Octoduri; sed nec fidem su-  
perat, calamitosis illis temporibus Val-  
lensium Episcopos mansionem fecisse jam  
Seduni, jam Octoduri, ut proin sortiti  
sint à sedis loco nomen, nam & Floren-  
tinum vocat *Sedunensem* Sigebertus, ve-  
rūm nobis potior ratio esse debet ab ijs,  
qui interfuerē sac. Conciljs nempe Theo-  
doro, Constantio, Rufo, qui se Octodu-  
renses subscriptere, unde fieri potuit, ut  
Sigebertus & Novarienses scriptores Flo-  
rentinum, & Heliam vocârint *Sedunenses*  
nomine Provinciæ à Civitate regionis  
hujus capite, seu quod non adverterent  
illis primis temporibus sedem fixam fuis-  
se

se Octoduri, cùm tempore Sigeberti es-  
set Seduni, scripsit enim Sæculo XII.  
haud absimili errore Minutolius pluri-  
bus locis vocat Octodorenses Episcopos  
etiam eos, qui ab anno 585. sacræ inau-  
gurationi adstitere Antistitum Geben-  
nensium. Quare non solum Florenti-  
num, sed & Heliam nulla satis ratio evin-  
cit habuisse sedem fixam Seduni, cùm  
medij veniant inter Octodorenses Theo-  
dorum, Constantium, Rufum &c.

Cæterum Helias quasi Lucerna super  
candelabrum posita omni genere virtu-  
tum præsertim invictâ in adversis pa-  
tientia excelluit, Pontificatus tamen o-  
neri, & honori, vel quòd varijs disten-  
tus curis contemplationi Divinorum in-  
cumbere non posset, vel potius Arriano-  
rum, ut arbitror, vexationibus pressus,  
cessit, ac solitariæ vitæ amore Julio apud  
Insubres sanctitate vitæ jam claro se ad-  
junxit, ut visum est hucusque tandem  
& ipse relictis sanctimoniacæ suæ monu-  
mentis beato fine quievit in Insulâ Ortæ  
idibus Aprilis, ibidem tumulum nactus:  
**Unde Lancellotus ex Comitibus Medæ in**  
**præfatione Statutorum Ecclesiæ S. Ju-**  
**lij**

lij sic infit. *Christi & B.M.V.* nec non *SS. Julij, Andentij, Philiberti, Eliæ, & Demetrij*, quorum corpora *Bma* in dictâ Ecclesia apud Altare magnum requiescunt, nominibus invocatis &c. Ex Eliæ sacris Reliquijs insignis particula Canonorum S. Julij piâ liberalitate ad nos superioribus annis delata, nunc solemnioribus Festis Cathedralis Ecclesiae in argentea ejusdem Effigie reposita publicæ Fidelium venerationi exponitur.

## CAPUT II.

*De ijs, quæ sub reliquis Episcopis Octodurens. accidere, seu gesta fuere in Ecclesia Vallensium.*

**I**Pso Sæculi V. initio insignem Vallesia lauit Christi Athletam Florentinum Episcopum Octodurensem, quem cum Hylario Diacono Martyrij palmam retulisse affirmant Annales præcitati, nec non Martyrologium Rom.v. Kal. Octob. in hæc verba: *Seduni in Galliâ S. Florentini Martyris, qui una cum beato Hylario post abscissionem linguæ iussus est gladio feriri. Cum enim etiam abicissâ linguâ Numis*

nis prodigiosâ ope , seu operante virtute liberiùs doctrinam Evangelicam prædicarent , capitis abscissione Martyrij meruere coronam . *Henri : Murer in Helv.*  
*S. haud absimili modo tradit P. Joannes Malobiczki S. J. in lib. Reg. Sacerdotij p. 2. c. 5.* rerum potente Justiniano Cæfare Vandalorum Regem , sectâ Arrianum , in Africâ Catholicis Episcopis ob confessio- nem Fidei linguas radicitus avelii jussisse , nec tamen usum sermonis eâ crudeli- tate , uti voluisse , abstulisse , namque veritatem asserebant nobiles Fidei Testes etiam sine linguis , eapropter Africâ in Exilium ejeciti . Alij annum affig- nant sacrilegæ cædis ad S. Petrum Clagiarum patratæ 411. cum *Joanne Baptista Ricciolio in hist. chronol. reform.* Alij annum 407. ex notis *Martyrolog. Rom.* & quidem vel illâ , ut opinor , occasione , quâ Vandali in Galliam , & Hispaniam progressi sunt sub Genserico Rege , Arrianorum Fautore , & ipso Arriano , nec non Eccle- siarum famoso spoliatore , qui africanum Regnum dicitur stabilivisse anno 417. vel sub ejus Prædecessorum aliquo , Gunde- rico , aut Fredebaldo , eti enī post

Valentem Arrianum Imperatorem Cæsarum furor in Christianos cessaverat circa annum 378. sæviebant tamen abinde, cum in Gallias irrumperent, Vandalorum Reges, adeo ut invalefcientibus in Catholicos Antistites Persecutionibus huius ærumnis vexati, aut exulare cogerentur, aut etiam ad Internacionem raperentur. Sunt, qui Florentinum cum Hylario dicunt Incolatu non brevi versatum quoque esse in Burgundiæ Civitate *Pseudin* nunc *Semont* dictâ Dioceesis Augustodunensis, captos autem esse à Barbaris Galliam celticam populantibus, & pro confessione Jesu Christi occubuisse 27. 7bris. quorum Reliquiæ translatæ sunt anno 855 ad *Abbatiam d'Ainé* Lugdunensis Dioceesis. Interim eorum locum cruentæ necis fuisse ad S. Petrum Clagiarum perpetua fert Vallensium traditio, & Annales sacri. Adon in Martyrolog. Ribadeneira tom. 2. in vitâ S. Innocent. 29. Julij Jacob. Gauthier Sæc. V. 400. col. 1. pag. 380. Item Column. Imperat. p. 381. Ado *Florentium* nominat *V. Kal. Okt. in Castro Seduno.* Apud Guillmannum l. 4. c. 3. Casp. Lang. l. 1. c. 2. a. 9. Petr. de Natal, &c. Cæ-

Cædem Florentini refert etiam Sigebertus in chronologiâ ad annum 451. sed in eo etiam hallucinatus , quod illum nuncupet *Sedunensem* Episcopum , cum enim scriptor iste suam chronologiam primùm ediderit Sæculo xii . Vallesiæ Episcopum nominavit à Seduno sede sui temporis , vel ab urbe regionis capite , licet Florentini non extitisset sedes , quâ in re non ambigo pluries erratum esse apud historicos in ijs Episcopatibus , qui sedem aliquando mutaverunt , pro ut translata fuit Octoduro Sedunum , Aventico Laufannam &c.

Quid autem , quod Florentinum inter , & successorem ejus Theodorum hujus nominis 2.<sup>dum</sup> , Octodorensim Episcopum , tot annorum intercedat spatium ? id unde provenire queat , videamus ; dixi superius Oggerium , & si qui alij fuerint Octodorenses Episcopi , quos Anna libus insertos non habemus , si extitisse affirmare nequeam , sed nec diffiteri omnino ausim , potuisse illis temporibus nonnullos alios , quorum ad nos non pervenit notitia , præfuisse Vallensium Ecclesiæ , & quod eorum propè solorum apud

apud nos extet memoria, quos fac. Concilijs interfuisse didicimus ex libris sacrorum ejusmodi Comitiorum. Quid igitur? an censenda tamdiu vacavisse sedes Octodurenſis suo viduata Pastore? Defectionis hujus seu orbitatis argumentum non leve præbent illius temporis calamitates, & Persecutiones bonorum prævalentibus Arrij ſectatoribus, & apud coronatos vertices nulli operæ parcen- tibus, quâ eorum Authoritate arceren- tur Catholici Episcopi, ne adirent Dioceſes suas, ſeu ne qui Catholici earum re- gimiſi destinarentur. Hinc & tradit Jacob. Gauthier in annum 800. fol. 603. col. 6. va- câſſe illâ tempeſtate Lugdunensem, & Viennensem Archiepiscopatus, & Wil- licarium Cathedram reliquiffe Viennens. ut Monachum indueret. Sed nec veri ſpeciem refugit, viceversâ ſiquis admi- ferit unum, alterumve interfuisse Epif- copum in eo non modici temporis in- tervallo, quod Theodorum inter, & Præ- decessorem Florentinum interfluxit, tum quod nonnullorum facile potuit eſſe pri- dem deleta memoria, demptis nempe, quorum nomina & mentionem fac. Con- cilio-

ciliorum Syllabus jugi transmisit posterrati, tūm & quia scriptores non desunt, qui *Salvium Episcopum* fuisse Octodurensem volunt *Dom. de l' Isle in bīst. Leg. Theb. c. 4.* alij *Rusticum* annumerant initio Sæculi V. tempore Gondegisilli Burgundionum Principis. *Gallia Christiana Sammarth.* Itaque hos, siquando certioribus argumentis fuisse deprehendantur, seu octodorenses, seu Sedunens. Episcopos, Catalogo nostro exclusos nolim, inclusos autem impræsentiarum nec volo, nec intendo, cùm à recepto uniformi Vallensium Episcoporum Syllabo, nisi luculentis rationibus edocear contrarium, recedere nec libeat, nec deceat, tametsi *Guillimannus l. 1.c. 15.* Rustico episcopo octodorensi plurimum tribuat conversionē Vallensium ad Christiana dogmata. Cæterū Florentinum nostrum vocant nonnulli *Florentium*, imò & corruptis alijs nominibus, ut videre est apud *Fran. August. ab Eccles. bīst. Pedemont: c. 44. pag. 303.* quem inter SS. Martyres connumérat.

Qui ex Catalogo nostro post Florentinum primus occurrit, est Theodorus

rus hujus nominis secundus, Episcopus Octodurensis, hic quid singulare praestiterit, vidimus potissimum in opusculo nuper edito Concilij Epaunens. & ipsum operam suam locâsse illius temporis Abbatii Agaunensi ad construendam Ecclesiam in honorem SS.<sup>um</sup> Thebaeorum MM., collectis socijs, qui locum Divinis laudibus, & officijs frequarent, ipso Abbate verbis & pietatis exemplis praeunte, quo adusque formasset Pater Christum in cordibus Filiorum, perhibent chronici libri tam Abbatiae Agaunensis, quam Castri Episcopalis Majoriae. *Baldazanus in Thebaide* sac. l. 2.

Cœpit itaque sub hoc Præfule, imò illo Authore Asceterium SS. Agaunensium, seu Domicilium virorum Religiosorum quorum erat solemne Officium, memoriam recolere *Paffionis* MM. Thebaorum, sub cuius autem Ordinis Instituto militarint, non liquet satis; aliqui S. Basiliij Regulam secutos esse autumant, qui jam circa medium Sæculi IV. Cœnobia aperuit in Græcia, cùm econtra Augustinus vix ante finem Sæculi IV. vel  
ad

ad initium V. Religiosas utriusque sexus familias instituerit, neque Benedictus Ordini suo initium dederit ante annum 520. aut circa , quo pueros in Monasterijs educandos admissit Monasticæ vitae jugum subituros. *Lambrecht Cat. Temp. ser. 7.*  
*Morerus, & aijj.*

Sed & verisimile vix est, S. Basiliij Institutum , in Provincijs orientalibus ortum , ad occitanas plagas jam tunc fuisse delatum , cum vix posteriorbus sæculis illuc usque propagatum fuisse constet , frequentibus econtra SS. Augustini , & Benedicti Cœnobijs in Occidente excitatis , immo S. Basiliij regulam in Occidente non ante XI. Sæculum viguisse legitur in Dict: de Trevoux vbo: *Basiliss*, quâ ætate seu circa annum 1057. naucti sunt Monasteria Basiliçani in Italia , ideo veriori argumento , & saniori Judicio dixero illos primi Agaunensis Asceterij viros ab ipso Theodoro Fundatore , & loci Episcopo religiosæ Disciplinæ , & solitariæ vitae regulam , *Tarnadae* dictam accepisse , cuius & articuli etiam nunc habentur in antiquis documentis , & MSS. Cœnobij Agaunensis , & ipsam Regulam , quam

his quoque temporibus à Tarnadâ vocitant, primis cœnobitis fuisse à Theodoro Episcopo, & Fundatore præscriptam tantò verius haberi debet , quia ijs temporibus à compluribus Episcopis alijs datas esse Monachis leges , procul dubio est - videlicet à Sto Cæsario, & Aureliano Are- latensibus, à SS. Ferreolo, & Columba- no in Gallia, à SS. Isidoro, & Fructuoso in Hispania. *Holsteinius apud Lambrecht cit.*  
*Ser. 10. Sect. 6. Sammarthan. Gallia Christia- na &c.* atque hunc usum Episcoporum approbandi, & confirmandi Regulas Cœ- nobitarum intra limites Diœcesis pro- pagatum fuisse usque ad Concilij tem- pora Lateranensis sub Innocent. III. seu usque ad annum 1214. sustinent nonnul- li ex cap. 9. & ult. de Relig. Domibus. At in- troduc̄tis postmodum Authore Sigis- mundo Rege ex Concilio Episcoporum Agauni congregatorum normis novem Cœnobitarum ex alijs Monasterijs ad- scitorum, indubium est, S. Benedicti Re- gulam fuisse Agaunensibus cœnobitis præscriptam.

Præterea S.º huic Episcopo divinitus revelatas esse Reliquias SS: Thebæorum  
MM.

MM. post multos *Paffionis* annos cum alijs tradit *Ribadeneira* in vitâ *S. Mauritij*. Ado *Vien.* X. Kal. Oct. *Baldazarus* cit. l. 2. *Suffren.* &c. *Brev. antiq. Sedunens.* *Gebennen.* *Lausanen.* *Dioceſeon.* quorum in honorem Sigismundus Rex ipso maximè horante Theodoro Eccleſiam Tarnadæ, & Cœnobium restauravit Religiosorum virorum, quibus incumbebat jugi psalmodia celebrare in Sanctis suis laudes Numinis, sed de hoc Theodoro, prout de Successore ejus Constantio plura retulimus in libello conc. *Epaunens.* illud singulare est tantam fuisse primorum Cœnobitarum Agaunensiū pietatis famam, ut longè latèque per Occidentis plagas pervagata plurimos in venerationem, omnes in admirationem raperet, prælucente, quem Abbatem Theodorus post Ambrosium præfecerat, Severini virtute, & sanctimoniâ, nam & hæc ita innotuerat passim, ut non dubitârit Clodovæus Francorum Rex cognomento *Magnus*, & Cœnobitarum precibus per viros ablegatos se se commendare, & detentus gravi infirmitate, nullâque Medicorum proficiente arte, Severini Pari-

fios adsciti operam curationis implorare,  
 qui proin ut Discipulos, & Fratres Reli-  
 giosos ad omnem ore & exemplo Sancti-  
 moniam efformarât , ita nunc ijsdem ad  
 perseverantiam cohortatis, omnibûsque  
 valere jussis se se itineri Lutetiam accin-  
 xit, factus etiam in hoc itinere prodigijs  
 clarus, quando Episcopum Nevernensem  
 Eulalium diutissimo , & difficiili morbo  
 afflictatum pristinæ valetudini subitâ cu-  
 ratione restituit , & ad portas Lutetia-  
 rum Leprosum aliquem infixo osculo  
 mundavit. Admissus dein ad decumben-  
 tem Clodovæum solo pariter fusæ ad  
 DEum orationis subsidio , & sacrâ ca-  
 sulâ impositâ , à febri liberavit anno 508.  
*Henr. Murer in Helv. S. in vita S. Severi-  
 ni. Martyrol. Rom. 3. Idus Febr. Franc.  
 Guillimannus l. 1. de reb. Helvet: c. 15. ex  
 antiq. Ecclesiæ Severini Contegiens. Petrus de  
 Nat. l. 3. c. 115. Baronius Tom. 6. XI. Feb.  
 Lilia seu flores Galliæ S:tæ.*

*Gauthier in echronol: Surius XI. Feb. Aymo-  
 nius l. 1. c. 24. apud Casp. Lang. l. 1. c. 4. a. 3.  
 & passim apud Historiographos, ex qui-  
 bus Severini prodigijs quanta Cœnobio  
 Agaunensi, imò & toti Vallenium Eccle-  
 siæ*

**siæ nominis fama obvenerit, quisque obvio perspiciet obtutu.**

Sed nec minor lux accessit, & gloria **Vallenſium Ecclesiæ ex conversione Sigismundi Regis ad saniora dogmata, et si enim vitam S. Martyris, & patrata ante & post obitum miracula enarrare non intendo, illud tamen intentiori animo spectandum arbitror, quod ejeratis inter manus Aviti Episcopi erroribus Arrianismi, atq; Ecclesiæ reconciliatus plurimum laborarit, ut regnum Burgundionum omni hæreticâ pravitate, & perversarum opinionum veneno purgaret, tum consilio adductus PP. <sup>um</sup> Epaunensis concilij, cum & Divini amoris æstu ipse succensus; quare & indubium est, si qui per Vallesiam nondum Romanis Sacris animas suas subjecissent, tunc Catholici Principis seu Exemplo, seu noxae Disciplinæ studio ad emendationem, & sanæ Fidei profitenda dogmata traductos fuisse, præsertim cum sub Catholici Principis auspicijs, quæ antè dicebantur in abscondito, prædicari jam potuerint super testa; Et cum Sigismundi curâ, atque Religionis studio convocatum fuerit Concilium**

cilium Epaunense apud Agaunenses ad Arrianam extirpandam pravitatem, Fidemque Apostolicam pristinæ integritati in his partibus restituendam, pro comperto haberi quoque debet, Constantium Episcopū Octodurensem Theodori Successorem, qui sacris hisce comitijs interfuit, & se *Octodurensis Civitatis Episcopum* subscripsit, ut liquet ex 2.<sup>do</sup> Tomo Conciliorum, studiosius allaborasse, nequid erroneæ opinionis, aut hæreticæ labis remaneret in Dioccesi vigilantiae suæ compiissâ: tot sanè celebrata illis temporibus Episcoporum Concilia. ( nam Successor Constantij Rufus interfuit Aurelianensi V. año 549. & qui hunc in Episcopatu secutus est, Heliodorus adstitit Matisconensi an. 588. ) indicant, aëtum fuisse tunc indefesso Ecclesiae, & bonorum Episcoporum studio, atque institutum esse extirpandis Novatorum erroribus.

De S. Severino unum supereft dicendum, esse nonnullos, qui cum Francisco Haræo ultrajectensi *in Conciones* eum pertinuisse ad Ecclesiam Sedunensem afferunt, antequam Cœnobium Agaunense adiisset; ego sanè tantæ claritatis,

ritatis, & sanctimoniae virum Ecclesiam Sedunensem non refugere arbitror, cum indubium sit, etiam stante Octoduri sede Episcopali numerosum Seduni fuisse Clerum, civitate pridem celebri à Romanorum municipio, & colonia, cum & paucis post annis illuc translata fuerit sedes Episcopalis, nam Rufus Episcopus se subscripsit *Octodorensim* in Conc. Aurelianensi V. anno 549. his verbis : *In Dei nomine Rufus Episcopus Ecclesiae Octodorensium consensi, & subscripsi*, cum Successor ejus Heliodorus (*Agricolam si omittas*) scriptus sit *Sedunensis* in Matisconensi II. Cæterum Rufum Episcopum cum Lugdunensi, & Lausanensi Præfulibus Pelagio I. P. delegante adstitisse sacræ unctioni Nicetij Episcopi Gebennensis, Nepotis Reginæ, Conjugis Theobaldi Regis, quæ eidem solemnitati præfens quoque fuerit, tradere videtur *cit. Minutolius*. Dixi autem : *Agricolam si omittas*. Hunc enim omissum volunt aliqui in syllabo Episcoporum, ego infero, medium nempe inter Rufum, & Heliodorum, quia luculentum de eo est Testimonium S. Marij Lausanens. Episcopi in chronicis ad annum

568. cùm & præcitus Minutolius referat, Andræam natione græcum, Episcopum Gebennens. sub Joaõe P.<sup>o</sup> III. consecrationis munus accepisse ab Episcopis Viennens. Octodurens. & Lausanens. id sanè de alio, quām de Agricola, qui in illud tempus incidit, nequit intelligi collatis inter se annis tam Pontificatus Joannis II. quām binorum Episcoporum Vallensium Rifi Antecessoris, (qui & in synodo Lugdunensi ào 567. Ecclesiæ Octodurens. Ep.<sup>um</sup> se subscrispsit.) & Heliodori Successoris. Gall: Christiana Sammarth: Vbo: Sedunensis Episcopus. Beat. Rben: Salest.

### CAPUT III.

#### *De Initio Episcoporum Sedunensium.*

**T**Ametsi curâ, & indefesso studio S. Sigismundi Regis, totque sacrorum Antistitum, qui sub ejusdem auspicijs impias de Religione opiniones profligate allaborârunt, purgatam quoque fuisse erroribus Arrij Vallesiam indubium sit, Pacemque Ecclesiæ Sedunensi, seu Octodurensi redditam, successere tamen aliae calamitates à Longobardis, qui superatis Alpibus Salassos, Vallenses, & Antuates vastasse referuntur passim apud

Authores, qui de rebus helveticis scriperunt, Heliodoro tunc *Sedunensi Episcopo primo*, nam ut habent Sammarthani in *Sedunensi Episcopo* scriptus est *Sedunensis* Heliodorus in *Matisconensi Concilio II.* licet per Ablegatum, unde in Summâ Conciliorum post subscriptiones *Episcoporum legitur*; *Item quindecim Missi Episcoporum*, qui in eâ synodo subscripti sunt: & hos inter subscriptos venit: *Heliodori Episcopi à Sedunis.* Hoc Concilium jussu Guntrani Regis ad reformandos Ecclesiæ Gallicanæ Mores coactum fuit, cum Populus Evangelicis, ut par erat, doctrinis non institueretur. vid: *M. Bail in summâ Concil: in annum 588. de Concil. Matiscon: II.* Memorant autem chronici libri tam Cœnobij Agaun., quam Castris episcopalis Majoriae dicti, Regem Guntranum à celebratione dicti Concilij reducem cum adiisset Confessionis sacra loca SS.<sup>rum</sup> MM: Thebæorum, Episcopo p̄fato, & Jucundino Agaunensi. Abbe comitibus, cumque austerae pœnitentia, eximiæque in cœlites Pietatis exercitia ibidem loci complésset, apparente tumulis SS.<sup>rum</sup> geminâ face cœlitus immissâ inventisse

nisse bina corpora ex Legione Thebæa,  
quibus nomen inditum *Amoris, & viatoris*  
in illam usque diem profundo Terræ si-  
nu recondita , quæ mox ad Basilicam  
SS.<sup>rur</sup> Agaunensium solemni Pompâ de-  
portata , atque demum ejusdem Regis  
desiderio in Burgundiam fuerint devecta.  
*Henric: Murer in Helv: S. in vit: S. Mau-  
rit. c. 11.*

Colitur equidem S. Viator in Eccle-  
sia S. Justi Lugdunensis , Ejus sac. Reli-  
quias an. 1288. 19. Aug. in ea repertas fuisse  
cum corpore S. Irænei episcopi Lugdunæ.  
tradit Jacob: Gauthier S. J. in añum 1300.  
fol. 717. at Viator iste dicitur socius fui-  
sse S. Justi , adeoque alias à viatore The-  
bæo , ut potè cuius sacra Lipsana in Bur-  
gundiam translata esse , notant Dypti-  
cha , & Annales sacri Agaunensis Cœno-  
bij , qui & varijs locis Guntrani Regis  
commendant venerationem in SS. The-  
bæos , ac pietatis officia , ipsumque exi-  
mijs beneficijs cumulâsse Ecclesiæ Sedu-  
nensem , Laufanensem , & Gebennensem ,  
testantur , speciatim verò curâsse repa-  
rari Cœnobium Agaunense à Militibus  
**Clodomiri** antè vastatum in spretum Si-  
gis-

gismundi Regis , & Martyris , secutâ demum reparatæ Ecclesiæ consecratione per eundem Heliodorum Episcopum. Guntranum Sanctis Ecclesiæ Vallensium annumerat Henric : *Murer in Helv. S. citans Franc: Guilliman de reb: Helvet: l. 1. c. 15. & l. 2. c. 12.* Item Greg : *turon: de glor: MM. c. 76. & bift: de gest: Franc l. 4. c. 24.* Bed: *Uſuard: Adon: Baron: &c.* namque Fulsit ante & post obitum Miraculis , & quidem , ut visum est , ijs etiam , quæ ad promovendum cultum SS. Reliquiarum plurimùm conferre videbantur , semper enim , ait gravis quidam Scriptor , Ecclesia proprijs claruit miraculis præ Gentibus æternis , quæ doctrinæ antea promulgatae Testimonia sunt , quod sit à DÉo . Majol. col. 2. de vaticin. Denique Heliodorum adstitisse Gebennis Sacro Simonis Caryathon Episcopi Gebennensis , Præfulis Regi Guntrano chari in paucis , & ipsi à Consilijs , cum Episcopis Lugdunensi & Lausanensi , indicat Minutolius cit: Pelagio Papâ II. delegante. Hæc sunt , quæ de Heliodoro innotuerunt.

Heliodoro successit in Sedunensi Episcopatu Honorius sub Clothario II. circa

ca annum 593. ut legitur apud Fran: Halier lib: de Hyerarch: Eccles: 4. §. 13. in quo nec discrepant chronica documenta, & Catalogus Episcoporum Sedun.

De Leudemundo, qui Honorium se-  
secutus est in sede Episcopali, nihil inno-  
tuit, quod ad illustrandam Sedunensem  
Ecclesiam conferre possit, quin econtra  
hunc Episcopum gratiâ Regis Clotharij  
excidisse, ajunt, suâ equidem culpâ, hinc  
transire libet ad ejus successorem Prota-  
fium. Hunc legimus interfuisse Concilio  
Cabilionensi anno 644. ut vult Tillemont  
*in bist: Sti. Mauritiij* tom. 4. pag. 696. vel  
circa medium Sæculi VII. ( non enim om-  
nes de anno conveniunt ) & quidem, ut  
nonnullis videtur, verisimilius an. 654.  
Martino Tuderto summo Pontifice, &  
Clodovæo Rege II. qui autem afferunt,  
Protasium nostrum cum Domitiano Ge-  
bennen. & Grato Augusten. Episcopis  
translationi adstitisse S. Innocentij Mart.  
Thebæi, cuius membra post annos com-  
plures Passionis, Rhodani aquâ Terram  
lambente detecta sunt, graviter halluci-  
nantur, & anachronismum incurront,  
involvit enim repugnantiam, ut hi Epif-  
copi

copi sint ætate conjuncti, siquidem Protatium nostrum interfuisse Concilio Cabillionens. II. visum est superius circa medium Sæculi VII; Domitianum autem, Gebennen. Episcopum, hujus nominis II. ( nam primus vixit anno 440. ) vixisse tempore Leonis P.æ IV. & Nicolai P.æ Successoris, atque obiisse anno 858. tradit Minutolius tom. 2. in Syllabo Episcoporum Gebennen. & in Rituali Gebennen. cit. ponitur post an. 849. S. Gratianus contra Augustensem Episcopum fuisse Divo nostro Theodulo coævum, videbimus suo loco, & legitur apud Ughellum Tom. 14. *Italiae Christianæ in Episcopis Augustanis* fol. 1098. his verbis; auxit ( S. Gratus ) *Divinum cultum SS. MM. Mauritij & Sociorum ejus, sordido in loco ad Rhodani fluminis ripas jacentis, Divino monitu cum S. Theodulo Sedunensi Episcopo in Agaunensi Cenobio reposuit, partem aliquam Sedunum, & Augustam retulit.* Idem ex Diptychis, & Indigitamentis Castris Valerianæ Canoniconrum Sedunensium.

In rei hujusce Veritatis testimonium illud venit, quod legitur in vita S. Gratiani Authore Nicolao Jucundo Arnod Canonico

nonico Augustentis SS. Petri, & Ursi, dicatâ Episcopo, & Comiti Augustensi Philiberto Albert, nempe adiisse Gratum ex delegatione Adriani P.<sup>æ</sup> ad Carolum M. tunc Galliarum Regem, à quo suppetias militares adversus Desiderium Lombardiae Regem Ecclesiæ Catholicæ infestum obtinuerit, quâ Legatione rite perfunditus Augustensis Ecclesiæ solium Episcopale confondere jussus sit, dein vocatum fuisse Romanum à Leone P.<sup>æ</sup> III. tractandis Ecclesiæ Catholicæ summis negotijs adstitutum, quibus confectis, jam redux in Dioecesin, demum in Vallesiam nostram se contulerit, superno permotus instinctu colligendi sacra ossa Legionis Thebææ, cui sacratori negotio mox operam dederit cum S. Theodulo Episcopo Sedunensi &c. consonat narratio hæc traditioni, scriptis, pictisque Tabulis, & Annalibus sacris Ecclesiæ Sedunensis, quibus docemur, S. <sup>tum</sup> Theodulum reliqua sacra ossa Thebæorum MM., Numinis instinctu revelata collegisse, & honorifico loco reposuisse, qualia esse arbitror illa, quæ non exiguo numero assertantur ab immemorabili in facello S.

Ca-

Catharinæ Ecclesiæ Collegiatæ Castris Valeriæ Canonicorum Sedunen. neque enim constat, quâ occasione aliâ Sedunum delata fuissent. Cæterùm revelationem hanc alteram SS. Agaunensium tribuunt S. Theodulo nostro Breviaria, *Sedunense*, quod canit: *fusâ prece Theoduli nudatur culpa Caroli, Thebæorum cadavera conduntur ejus operâ* Item *Lausanense* 16. Aug. *Augustense* 22. 7bris, quod Theodulo & Grato Episcopis Joannem adjungit Gebennensem, nondum autem innotuit mihi, quisnam fuerit ille Joannes ex Gebennensi. Episcopis, an Walternus, vel Apradus? qui ambo videntur coævi fuisse Theodulo Sedunensi.

Hinc *Claudius à rotâ in his: Lomb. in vi-*  
*tâ S. Mauritiij* scribit, Gratum Episcopum alio quodam tempore ac itinere in Vallensis factâ interfuisse Elevationi S. M. Thebæi Innocentij cum Protasio Archiepiscopo Lugdunensi & Domitiano Gebennensi, cuius corpus Rhodani arenâ tumulatum unda detexerit, atque libri ipsi chronicci Agaunen. Cœnobij memorant eâ occasione S. Theodulum habito sermone ad confertum populum,

Textum promptissime ex Psalm: 113. sic applicatum: *Quid est Tibi Terra, quod fugisti, & Tibi Rhodane, quia conversus es retrorsum? à facie Innocentij mota est Terra.* Hujus porrò S. Martyris Reliquias fuisse demum in varias Dioceses deportatas, atque in earumdem pluribus Ecclesijs etiamnum venerationi haberi, satis indicant præfati Annales sacri, deque ijs S. Gratum particulam *insignem* ad Ecclesiam suam attulisse subsecutâ fundatione 4. Sacerdotum cum onere assistendi omnibus ejusdem Ecclesiæ Officijs sacris, obiisse autem circa annum 810. quæ omnia sancè innuunt, S. Gratum Augustensem temporibus vixisse posterioribus, nec fuisse coævum Protasio Sedunensi, sed potius hujus nominis Archiepiscopo Lugdunensi, & fors Domitiano Gebennen. *excit:* Claudio à Rotâ, tametsi Domitianus videatur junior esse spectato tenore citati Ritualis Gebenn. &c. Cæterum de revelatione sac. Reliquiarum MM. Thebaeorum per S. Theodulum Sedunensem factâ eundem enunciandi, testandique modum observant Breviaria, seu Officia canonica Basileensis, Gebennensis, ac Ta-

• ( o ) •  
**Tarantasiensis Dioceſeſon**, idemque le-  
gitur in vitâ S. Grati primûm Lugduni  
Typis data año 1575. dein recusâ Cam-  
berij per Geofredum Dufour. Hæc occa-  
ſione Protaſij Sedun.

Sunt, qui asſeverant ào 690. rexifſe  
Sedunensem Ecclesiā *Gratum Episco-*  
*pum*, quem cùm non habeat Syllabus  
*Caſtri episcopalī Majoriæ*, neque *Caſtri*  
*Canonicorum Valeriæ*, ſed *Gallia Christiana Sammarth*: nolim ego à recepto tam  
numero, quām ordine Vallenſium Epif-  
coporum deflectere, niſi rationum pon-  
dere, & probatorum virorum Testimo-  
nijs convincar, hinc certioris defectu no-  
titiæ neque ad ~~actodurensium~~ Præſulum  
Catalogum admittendum censui ſuperio-  
ri capite *Ruſticum episcopum*, quem cit.  
*Gallia Christiana* interponit Florentino,  
& Theodoſo II. tempore Gondegifilli  
Burgundionum Principis, & in Transla-  
tione S. Victoris Thebæi, cui non diſfen-  
tire videtur Murer in Helv. S. in vitâ  
SS. Urſi, & Victoris asſeverans, tempore  
Gondegifilli Regis primi Burgundionum  
Domitiano Epifcopo Gebennensem Ec-  
clesiam regente nempe circa annum 415.

factam esse translationem corporis S. Victoris Thebæi Solodoro Genavam , ac demum annis propè ducentis decursis , sacra ejus lipsana esse divinitus revelata S. Achonio Episcopo Maurianensi , qui cum Heliodoro Vallenium Episcopo , & Rustico Gebennensi ( tametsi hunc 30. annis juniores annunciant Minutolius , & cit: Rituale Gebenn. ) S. Victoris corpus invenerit præsente , & donaria offerente Theodorico Rege circa annum 535. de quâ translatione loquitur *Ado vienn. 30. 7bris,*  
& in *chronico ad an. 288. Surius 31. 7bris*  
*tom: 1. Usuardus p. 566. Sigebertus in chronic.*  
*Bisciola Epit.: Annal. Eccles. ad annum. 609.*  
Verùm fallitur Henr: Murer in eo , quòd Heliodorum nostrum constituat præsente revelationi S. Victoris , revelatio enim hæc facta est verisimilius an. 602. præfato Achonio in Ecclesiâ suburbanâ Gebennæ. *Gall: Christiana Sammarth: in Episcopo Maurianensi. Aimonius l. 3. bist. c. 9.*  
*Fredeg: Scholast. in cbron: & quidem facta præsente Theodorico Rege, Rustico & Patricio Episcopis , at quarumnam fuerint Diocceseon Episcopi Patricius , & Rusticus , non satis liquet. Etsi enim utriusque*  
*No-*

Nominis extiterint Gebennen. Antistites, referuntur tamen ex Minutolio, & Syllabo cit. Ritualis ad annos posteriores circa Sæculi VI. medium, sed nec mihi persuadere possem, non interfuisse huic Solemnitati Episcopum loci Flavium Apellinum, nisi idem Minutolius affirmaret, paucissimo tempore hunc resedisse in Dioœcesi, & cuidam interfuisse Concilio Anglicano sub P.º Bonifacio, contra Domitianum tempore Gondegilli Regis tunc Gebennæ residentis, cuius erat Consiliarius, Authorem fuisse translationis Victoris Thebæi, & templi Ejus honori per Sedeleubam, alijs Theodesindam Reginam erecti in ipso Ejus Domûs nativæ loco, tradit etiam cit. Minutolius, & obiisse Domitianum anno 442.

Cæterùm Protasium nostrum, qui subscripsit Concilio Cabillonensi vendicare sibi videtur Ecclesia Senecensis ad an. 650. Gall: X.<sup>na</sup> Sammarth. in Senecensi Episcopo, suffragante Dominico Nolino, qui in Concilio Cabillonensi subscriptum 33.<sup>um</sup> legit Senecensem pro Sedunensi. At verò Protasium nostrum præter Ta-

bularia, & Breviarium Ecclesiæ Sedunen-  
cum uniformi Episcoporum Syllabo fa-  
tis indicat Sirmondus fuisse Praefulem Se-  
dunensem. cit : *Gallia X.<sup>na</sup>. Baldazanus in  
Thebaide: Franciscus Hallier &c. & passim*  
alij:

Tempore Dagoberti Regis Francorum  
enituit maximè Sanctitas Amati Sedunen-  
Episcopi, hic enim ab ineunte ætate San-  
ctimoniacæ specimen dedit, & in Agaunen-  
si Cœnobio Monasticū habitum indutus,  
pijs atque religiosis virtutibus ita excel-  
luit, ut omnibus perfectionis normam  
præberet, dein cum magis solitariæ vitæ  
desiderio impulsus elegisset degere solus  
in vicini Montis rupe, constructis ibidem  
cellulâ, & oratorio, illic loci Dei Famu-  
lus tantæ sanctitatis spirabat odorem, ut  
plurimi ex omni conditione hominum  
ad Eum invisendum undique convola-  
rent, quare is ad majora Divinâ virtute  
servatus, communi Comprovincialium  
Episcoporum Suffragio ad Sedunensem  
Episcopatum applaudente tam Clero,  
quam Populo Vallensi vocatus est : Id  
verò Ministerium cum gereret magnâ fi-  
de, nec impari diligentia, & prudentia,  
per-

per impaetas à Malevolis calumnias factus est Regi Theodorico ita invisus , ut idem S.<sup>tum</sup> Episcopum ejecerit in Exiliū : ille Exilium , Contumelias , & Malignantium odia invictā patientiā pertulit assidue præsertim orationis subsidio , atque multis demum Miraculis clarus obiit , sepultus in Ecclesiā Romari Montis in Lotharingia , ut habet Gallia Christiana Sammarth : *Vbo: Sedunen. Episcopus* , & passim , qui de rebus nostris scripserunt : *Pantaleon in Prosopograph* : & alij : Hunc tamen sede suâ extorrem factum esse credit *Henricus Murer in Helv. S.<sup>tū</sup> & Jofias lib. 2. de Valles* : ab Ebroino Magistro Equitum , qui & Leodegarium Æduorum Episcopum carceribus mancipatum , abscissâ linguâ , & erutis oculis crudelissimè trucidaverat : at verò id mihi non apparet , nam Ebroinus vivere desiit anno 681 . superflite Theodorico III. Austrasiæ Rege : Amatus autem noster , attento uniformi Syllabo , & ordine Episcoporum tam Castrī Episcopalis Majoriæ , quam Canoniconrum Sedunen. Castrī Valeriae creatus fuit circa annum 716. sub finem vitæ Dagoberti III. post Protasium , qui subscriptis

Con-

Concilio Cabillonensi II. an. 654. aut circa.  
 unde liquet, Eundem neque ab *Ebroino*  
*Præfecto*, neque sub *Theodorico III.* qui ē  
 vivis excessit aō 694. exulâsse, sed veri-  
 similiūs sub *Theodorico IV.* qui Guberna-  
 cula Regni tenuit ab aō 727. alijs ab an. 720.  
 usque 741. aut circa consequitur etiam ex  
 his, Amatum nostrum longè esse diversum  
 ab Amato Senonū Archiepiscopo, tametsi  
 vitæ genere, & sanctitate non dissimilem,  
 nam hic factus Episcopus aō 675. pulsus  
 omnino est in *Exilium Peronam*, Picardiæ  
 oppidum, ab *Ebroino Præfecto*, mortuus  
 in Monasterio Marci villæ vulgo *Mervil-  
 la* circa añum 690. unde *Joannes Bap-  
 tista Ricciolius Soc. Jes: in bīst. cbronol. re-  
 form.* sic habet: *S. Amatus Episcopus Senonen.*  
*obiit 690. S. Amatus Episcopus Sedunen. flo-*  
*ruit 716. utriusque festum in suā cujus-  
 vis Ecclesiā celebratur 13. 7bris.*

Sunt, qui dicunt, Amatum nostrum  
 contulisse se Luxovium precibus Eusta-  
 chij Abbatis loci impulsū cupientis E-  
 jus sancti viri Exemplo Monachis suis ob-  
 servantioris vitæ normam inspirari, at va-  
 cante sede Sedunensi mox fuisse revoca-  
 tum, idque non abludit ab ijs, quæ ha-  
 bet

bet antiquum Sedunense Breviarium in ejus Festo :

Hæc si ita sint, consequitur, Eustasium, seu Eustachium hunc esse omnino alium ab illo ejusdem nominis, & Cœnobij Abbatæ, qui regendo Luxoviensi Monasterio S. Columbanum jam antè per ipsum recto, & erecto revocavit, tametsi adscitus redire detrectârit circa annū 616. *Baillet in vitis SS. rum Chron: lib. & Fasti Sedunen. Ecclesiæ. Item Chartophyl: Castri Majoriae, ac Valeriae. Laurent. Surius. Franc: Haræus. Henric: Murer in Helvet: s. Brev. antiq. Sedun. Ecclesiæ in Festo S. Amati. Josias cit: Item Morerus in Amato, & Ebrieno ex Molan. le Mire; Bucelin; Ado: Greg. Turon: Sigebert.*

Dignum notatu occurrit, tempore Amati Episcopi, seu non longè ab ejus obitu Vallesiam nostram adiisse Stephanum *P. am II. dictum III. R. cùm in Gallias proficiseretur ad Pipini Regis L. implorandam opem adversus Aistulphum Lombardorum Regem penultimum ( nam successit Ei Desiderius ) quem Aistulphum cùm Pipinus adegisset ad reparanda damnata gravia per atrocem injuriam Ecclesiæ*

illata , Rege demum in Galliam reduce  
 Pontifex ab Eodem veneratione , & ho-  
 noribus cumulatus Romam redijt : Hu-  
 jus autem transitūs occasione Stephanus  
 in Cœnobio Agaunen. hospitatus est Ai-  
 rasto Abbe loci : unde *Joannes G. Bis-  
 ciola in Epit: Annal: Baronij año Christi 753.*  
 de hoc Pontificis itinere ita narrat :

„ Ad sancti Mauriti Monasterium progressus ob-  
 „ vios habuit Fulradum Abbatem , & Rothal-  
 „ dum Ducem à Rege missos , qui Eum deduce-  
 „ rent , progradienti ad Ponticonem Carolum  
 „ Filium post *Magnum* cītum , ad 100. passuum  
 „ millia obviam cum Optimatibus misit , ipséque  
 „ ad tria ferè millaria obviam egressus &c. ita  
 ille.

Cæterūm sunt , qui Amatum aliquem  
 in Cœnobio Agaunensi asseverant vixisse  
 tempore Dagoberti Regis , quin tamen  
 eum Pontificio , seu Episcopali munere  
 insignitum fuisse meminerint , cujus Acta ,  
 prodigia , & vitam legere est in libro : *Les  
 vies des SS. Peres des Deserts d'Occident Pa-  
 risijs* impresso 1721. adeo consimilem  
 Amato nostro Episcopo spectatis docu-  
 mentis Indigitamentorum , Tabularum ,  
 & antiqui Breviarij Sedunensis Ecclesiæ ,  
 ut dubium omnino sit , idemne fuerit ,  
 an

an aliis ab Amato nostro , quemadmo-  
dum enim illum recessu ad solitudinem  
*Rupis* , & Austeritate vitæ famosum , pa-  
nis & aquæ penuriâ ( corvo hanc effun-  
dente , illum afferente ) pressum , & in  
antiquum humani generis hostem victo-  
rijs clarum , dein eliciti aquarum fontis  
limpidissimi , & suspensi , quod in cellu-  
lam deciduum volvebatur , faxi prodigio  
insignem , denique uti sanctimoniac famâ ,  
ita Dioecesani Episcopi frequenti ad eum  
accessu , & Luxoviensis asceterij Discipli-  
næ Instaurazione celebrem dicunt , ita A-  
matum alterum nempe Antistitem nos-  
trum ejusdem omnino vitæ , gestorum  
eorumdem , ac prodigiorum genere in-  
clytum memorant citata Ecclesiæ Sedu-  
nensis documenta : Illum equidem di-  
cunt nobilem *Gratianopolitam Theodoro* Pa-  
tre natum : Hunc nostra documenta nobi-  
lem *Neapolitam Eliodoro* Patre progenitum ,  
sed alterum pro altero nomine , Apogra-  
phorum errore usurpari faciliè potuisse ,  
quis non perspiciat ? hinc arbitror , aut  
binos fuisse nominis hujus Agaunenses ,  
Cœnobitas , quorum alterius prodigia ,  
& gesta perperam alteri fuerint adscrip-  
ta ,

ta, aut verisimilius Amatum nostrum Episcopali dignitate auctum fuisse, ignorâisse, qui libro PP.<sup>um</sup> solitudinis occitaneæ vitam Amati inferuere, atque hoc uno responsi compendio auffertur omnis dubitatio, præsertim cum & Amatus noster pulsus Episcopatu in solitudine dies vitæ absolverit.

Sequitur Ulcarius, alijs Villicarius, (Abbatii Ursbergensi Villimarius), qui sedem occupavit Sedunensem circa annum 764. fertur autem cum cæteris Regni Episcopis & Principibus Legatus adiisse Carolum, cum Galliarum Regni Gubernacula suscepisset post Fratris Carolomanii obitum, Eidemque bene precatus novo Monarchæ. Ulcarium autem hunc existimat Josias cit: fuisse eundem, cuius Ado meminit, qui cum Viennæ Episcopatum teneret, Saracenis Gallias vastantibus, & Francis res sacras in suos usus convertentibus, reliquo Episcopatu Romam abierit, post verò Cœnobitis Agaunen. aggregatus Monasterij regimen susceperit Pipino regnante. *Joannes de Buffieres bish. Franc. Casp. Lang. l. 2. c. 1. a. 4.*  
*Jacob Gautbier ad annū 800. col: 6. fol. 603.*  
*Josias cit: de Vall. l. 2.* Post

Post præfatum autem Ulcarium , &  
Aluborgum , qui rexit Ecclesiam Sedunē.  
circa an. 768. Pontificij muneric honore  
auctus est Altheus ex Abbatie Agaunensi  
creatus Sedunen. Episcopus , unde Bulla  
Adriani P.æ ad petitionem Caroli Fran-  
corum Regis data habet : *in quo ( Mona-  
sterio SS. Agaunensium) Althæus Sedunensis  
Episcopus præesse videtur.* Hunc memorant  
fuisse ipsi Carolo sanguine propinquum  
& in paucis charum , cuius tempore pro-  
lixa ē manu Caroli in Cœnobium Agau-  
nense beneficia dimanārint , Donaria va-  
ria profluxerint , nec solūm Cœnobij  
compensatis damnis per Longobardos  
non pridem illatis , sed illius quoque re-  
bus adauctis , Althæum autem , quem , ut  
erat omnium luce virtutum adornatus ,  
magni faciebat , ab intimis sibi consilijs  
esse voluit & itineris Romani comitem  
sibi adjunxit , postquam dies aliquot in  
Agaunen. Cœnobio suaviter hospitatus ,  
sacras quoque MM. Thebæorum Reli-  
quias veneratus est , quare & meruit piissimus  
Rex inter dormiendum cœlestis  
Harmoniæ dulcedine refocillari , inter  
autem Donaria , quibus Princeps mun-  
tice-

ficientissimus cumulavit Agaunen. Basili-  
cam , numerant Tabulam auream 65.  
*Marcarum auri ad reponenda sacra lip-*  
*sana D. Mart: ac Ducis Mauritij destina-*  
*tam , quam demum Abbas , & cœnobitæ*  
*dedêre Amedeo Sabaudiæ Comiti III. ào*  
*1146. cùm ad expeditionem facri belli*  
( è quo redux obiit Nicofiaæ an. 1149. )  
fe accingeret , vallem de Bagnes pro eâ  
oppignoranti , per quam subinde facta  
est compensatio larga, Dei nempe singu-  
lari Providentiâ operante , ut , cùm illis  
temporibus Ecclesiæ indigæ non satis de-  
corem suum , & alimoniam pauperum su-  
stinere possent , singulari instinctu , imò  
prodigijs , signis , & supernis visionibus  
corda Principum moverentur , ut se se  
Ecclesijs præberent beneficos. hinc affir-  
mant scriptores , & referunt chronica , ac  
pervetus Monuments Cœnobij Agau-  
nen. Sigismundum iteratis cælici genij  
Visionibus , & nuntijs ad instaurandam ,  
dotandámque loci Basilicam , & jugem  
instituendam psalmodiam fuisse admoni-  
tum: Carolum item præmemoratum , cùm  
agerentur solemnia Thebæorum MM:  
audiisse miram harmoniam noctu conci-  
nentium

nentium : *Gloria tibi Domine &c.* quæ res stupenda ita animum Ejus impleverit , ut spontaneo motu , & sancto impulsu plurima in Cœnobium hoc ab Eo beneficia promanârint , sed nec sine cœlesti nuntio , & prodigio contigit , ut idem piissimus Imperator eximiè beneficium sedem præstiterit Sedunensi Ecclesiæ , ut videbitur *Sect. seq.* Althæum autem Româ reducem dicunt obiisse & sepultum esse Mediolani . *Petrus de Natal* : *in vit. S. Sigism. Petrus Laurentius Galassus olivet: Jacob. Gauthier. S. Greg. Turon: Henr: Murer apud Casp. Lang in vitâ S. Caroli. Baldanzus in Thebaide l. 2. &c.*

### SECTIO III.

#### *Usque ad Saeculum XV.*

#### CAPUT I.

*De S. Theodosio Grandimontano.*

**H**Oc Saeculo aluit Ecclesia Sedunensis virum , uti nobili stirpe de Grandimontanâ Familiâ prognatum , ita omni virtutum genere , & sanctimoniae famâ inclytum , Numinis cultorem , quod & no-

men ejus indicat , eximium , *Theodulum* Sedunorum Episcopum , cuius prodigia , & miram operantis Potentiam , cùm legantur passim apud scriptores , præsertim apud Henricum Murer in *Helvetia S.* , pro ut & in antiquo Diœcesis Breviario , pleraque silentio involvo , qui autem confundunt Theodulum cum Theodoro II. & pro uno , eodémque Episcopo accipiunt , id nullo rationis fundamine eos præsumere , visum est alibi , & uberior videbitur infrà , tametsi in uno pleno prodigiij articulo utrumque Episcopum convenisse , non diffiteor , videlicet quòd ambo Divinâ adspirante gratia suo tempore SS. Thebæorum MM. sacra ossa revelârint , nam revelatas fuisse Divo Theodoro ( cui sedes Octoduri ) SS. Agaunesium Reliquias , & in Basilicâ sumptibus Sigismundi Regis extructâ repositas esse , cœnobitarum jugi psalmodia honorandas , vidimus Señt. præeunte , c. 2. & fuisse in opusculo *de conc. Epaunen.* unde facilè consequitur , quæ econtra repositæ magno numero asservantur in Thesauro Ecclesiæ Collegiatæ Castrí Canonorum Sedunen. Valeriæ , esse potiori par-

parte illas ipsas, quas B. Theodulus Grandimontanus posteriore ætate instinctu Divino detexit, de quo abunde superius ex lib. cbron: & Fastis Sedunen. Ecclesiae, & Cœnob. Agaun. quibus accedit Fran: Chiffletius ex monumentis Eccl:s: Dolanæ, Lugdunens. Augusten. Item ex Offic: Canon: Bisuntine & Lausanen. Diœceseon 16. Aug:

Illud singulare est, quod perhibet antiquum in membra documentū Archivi Castrī Episcopalis Majoriae, nempe Carolum M. ē Palæstinæ sacris locis adferri curâsse complures sacras Reliquias, quas partim Aquisgranum deportari, partim in Ecclesia B.<sup>mæ</sup> Virginis Sedunen. per suum fidelissimum Confessorem Theodulum reponi mandavit. Ita *ibidem*. Quam veritatem reddit luculentiorem Catalogus fac: Reliquiarum, quæ modò affervantur Seduni in prædictâ Collegiatâ Valeriæ ex ipso quidem genere provenientium & desumptarum ex dictis sacris locis & Instrumentis Passionis Dominicæ. Ipsius autem D. Theoduli, ( quem ob frequentia, miraque cooperante virtute Numinis edita prodigia Vallesiæ Thaumaturgum

turgum meritò dixerimus , & quem in  
Cathedrali Ecclesia B.V. Seduni sepultum  
fuisse ferunt) Reliquiarum varias partes in  
Bisuntinam ac Lugdunensem Diœceses  
translatas esse , præcitatis Testimonijs , &  
alijs inferiùs adducendis comprobatur ,  
ipsasque ad cohibendos imbres , noxiæsq;  
tempestates , & aëris injurias avertendas  
præsidio esse , sed & Campanas ab Eo be-  
neditas sonitu suo veneficorū, ac Dæmo-  
num impios cœtus solvere , & maleficia  
diicutere solitas esse , ijsdem habetur Testi-  
monijs , eandem verò virtutem alijs cam-  
panis , quibus imixtū fuerit tantillum Me-  
talli è quâdam campanâ ab Ipso benedictâ ,  
cujus residuum in Castro Valeriæ asserva-  
tur , inesse , continuo experimento com-  
pertum est apud Vallenses . *Thom : Sailer  
Soc : JEs : in Thes : Litan : Henr : Murer in vi-  
ta S. Theoduli. Casp : Lang. 2 l.c.1. a. 4. ex of-  
fic : canon : Sedunē. Vesunctionen. &c Diœceſeon.*

Temporibus Caroli M. plura varijs locis  
esse celebrata Concilia , certum est apud  
omnes , & legitur apud *Baron : Tom : 9.  
Annal : Ecclesiæ : quorum nonnullis cùm  
interfuerit magno Ecclesiæ Catholice  
commodo ipse Carolus , adstitit & illo-  
rum cœtum cuiquam , in quo compa-*

ruerat Theodulus quoque Sedunorum Episcopus ; non autem fuit infrequens primis Sæculis & istâ etiamnum Caroli ætate, ut etiam viri Principes, & coronati vertices, cùm gravibus noxis, ac piaculis se se obstrictos agnoscerent, & austerratis bus impositis illa expiare pararent, non vererentur Episcopis animarum curatoribus se se incusare, atque Eorum preces propitiando Numini implorare, id vidi- mus, magno pietatis exemplo præstitisse Sigismundum Burgundionum Regem, & secutus est id exemplum M. Imperator Carolus ineodem, cui Theodulus interfuit Concilio!, cùm enim hic Monarcha gra- vis, & occulti sceleris conscius SS : Anti- stitum congregatorum preces, & Divina sacrificia propitiationi Numinis impe- trandæ implorâsse, cæterique Episco- pi Missas plures se celebraturos spopon- dissent, unicam addixit Theodulus noster, quâ celebratâ & noxæ genus novit, & Ejus condonationem divinitus edocitus est: Itaque Carolum adiens, & flagitij se- riem aperiens Ei, universam ab Illius a- nimo perturbationem removit, ubi cul- pam à DEO condonatam esse, affirmavit.

Unde Vallesiæ Præfecturam, Ecclesiæ Sedunensis Dotem, tanti Beneficij præmium reportavit. *ex Offic: Canon: S. Theoduli Sedun: jugi consuetudine recitari solito, & ex antiq: Breviarijs Sedunen. Gebeñen. & Lausanen. Episcopatum impressa Basileæ, & Gebennis. Item ex offic: Canon: Lugdunen. Vesunctionen. Dolanæ, Augusten. Curiensis &c. Diæceseon.*

Quoniam verò Translatio sedis Episcopalis apud Vallenses nonnullis dubium excitavit: binos, an unicum Vallesia Episcopatum complectatur? Item Theodorus II. Octodorensis sitne idem, ac Theodulus Grandimontanus, atque adeò an Beneficium Caroli fuerit collatum alicui Episcopo Ipsi coævo? an verò collatum Ecclesiæ Sedunensi in honorem Episcopi pridem defuncti, & inter Divos relati? antequam super hujusmodi quæstionibus quidpiam proferam, huc refero paucis, quæ in Tom: 3. mensis Aug. leguntur apud Bollandistas 16. Aug: Præmittunt Titulum de S. Theodoro, seu Theodulo Episcopo Octodorensi, vel Sedunensi, dubij videlicet num is præfuerit Episcopatui Sedunensi, an octodorensi, ex eo, quod



quod nonnulli hos distinctos, adeoque duos Episcopatus fuisse velint, aliis econtra, atque melius unam hanc, eandemque Cathedram Octoduro Sedunum translatam existimantib⁹, fortitam ex loco diverso nomen diversum, citant Josiam Simler: *l. 1. descript. Valles*: Guilliman de reb. Helvet: Item Franciscum Augustinum ab Ecclesia Episcopum Salucensem in bīst. chronolog. Pedemont: Regionis, censentem, Cathedræ octodurensi successisse Sedunensem, neque amplius inscribi Octodurensim, uti dicebatur in notitiâ Provinciarum, sed Sedunensem, cuius Praefulis Authoris opinionem tanquam communiorem amplectuntur Bollandistæ, nisi Editores Galliae Christianæ postmodum solidis argumentis ostendant, Seduni, & Octoduri eodem tempore distinctos Praefules sedisse. Ita illi.

Ad stabiliendum autem cultum Theodori, ut vocant, seu Theodoli ex Ernesti Bidermañi tanquam Testis oculati litteris Friburgo Helvetiorum ad Majores Eorum datis citant officia Ecclesiæ Sedunen. propria de S. Theodulo, & Carolo M. ex vetustissimo Episcoporum Sedunen. Ca-

atalogo Castri Valeriae, constituentes S. Theodulum inter Altheum & Garinum Episcopos, tempore præfati M. Caroli famosum in propulsandis aëris noxijs tempestatibus tum Campanâ à se benedictâ, cùm & alijs, quibus de eadem quidpiam metalli fuerit infusum. Ita illi ex Bidermanno cit: Dein ex Chiffletio recitant S. Theoduli Actorum synopsin, conformem omnino *Legenda* nostri Officij, seu Lectionibus II. Noct. Item cultum Sac: ejus Reliquiarum in variarum Dioce- seon Ecclesijs stabilitum affirmant, quin & Divinae animadversionis judicia ex Mureri Helvetijs. allegant, secuta in Eos, qui S. Theoduli spreverant cultum.

Dein quibusdam Roberti Monachi narrationibus ratione præteritis, singulatim de Dæmone jusso ferre Campanam Româ Sedunum, meminerunt econtra ex MSS. S. Stephani Vesunctionensis de miraculis multiplicati vini, de revelatione SS. Reliquiarum MM. Thebaeorum, ad ductis etiam alijs vitæ Gestis ex *Legenda* S. Anatolij Salinen sis collato cum codice Bibliothecæ Thuaneæ, quæ tamen sæculi, & Authoris simplicitatem sapiant.

A: II. citant Murerum præfatum tres Theodoros , seu Theodulos assignantem Sedunenses Episcopos, ponentem singulos ad 16. Aug. allegant econtra Ill.<sup>mum</sup> Carolum à Basilicâ S. Petri Episcopum Novarien. in opere suo de Eccles. Nova-riens. pro cultu S. Theoduli in hæc verba promanantem : *Pro Octoduro nunc Sedunum civitas est, licet non eodem loco. S. tus igitur Theodulus Patronus, & primus Episcopus Ecclesiæ Sedunens. etiam in hac Diœcesi magna sanctitatis, & antiquâ existimatione in honore babetur, ut votum quoque publicum Populi Vallesie seu veterem consuetudinem invenerimus Ejus sepulchruis in Sedunis cum sacra oblatione adeundi multorum: Item Populorum votum festi Ejus diei celebrandi, qui est XVI Aug. licet pro Theodulo plerique dicant Theodorum.* Ita ille , qui tamen errat in eo, quod tribuat aliqua Theodoro primo , quæ tribuunt alij Theodulo temporibus Caroli M. Verius Andreas Sauvageus in supplemento ad Martyrolog: Gallicanum 10. Kal. April. scribit de Theodoro, seu Theodoro laudatq; à Concilio aquileensi, cui adstitit, ponit ad diem 23. Martij.

Petrus Cratepolius in opusculo de  
Sanc-

Sanctis Germaniae Theodorum, seu Theodoricum dicit primum *Sedunensem Episcopum & Christi cognitionem* anno 550. **V**alleesiæ intulisse, atque in Ejus memoria Carolum M. privilegijs ornasse Sedunensem Ecclesiam, quâ in narratione anachronismum advertunt luculenter Bollandistæ, & videbimus post hæc, quem nihilominus Authorem secutus videtur Philippus Serarius in Catalogo generali SS.<sup>rum</sup> ad diem 23. Martij, dubius tamen, an idem esset cum eo, qui colitur 16. Aug. ex Tabulis Ecclesiarum Sedunen. Curien. & Augustæ Prætoriæ.

Meliùs demum Bollandistæ ex Sebast. Münstero post duos Theodoros tertium Theodulum, *Donarium Caroli M.* distinguunt, citantes præfatum Salluciensem Episcopum, Traditionem Vallensium, Sedunen. Ecclesiæ Breviariū: Vice versâ Henricus Pantaleon Tom: I. Prosopograph: de S. Theodoro vel Theodulo II. dicit, Vallenses in Fide instituisse, Cœnobij Agaunens. Foundationi adstitisse, Ejus ad memoriam Carolum M. ditasse Ecclesiam Sedunen. donis, & Privilegijs, unde factum sit, ut aliqui hunc Carolo M. coævum

ævum putârint, citantes Joannem Stumpfium, & sequacem ejus Simlerum, ex quo tamen Bollandistæ fatentur, nihil propterea diminui de jure Sedunen. Ecclesiæ, id quod etiam ipse agnoscat cit. Jos. Simlerus l. 2. de Valles., relatâ tandem super his Mureri præfati sententiâ Bollandistæ ipsi huic nodo intricato dissolvendo se impares agnoscunt, & ab eruditis Vallesiæ Incolis, aut novæ Galliae Christianæ Editoribus clariorem difficultatis solutionem expectant, addunt postremò Acta Roberti Monachi ex *Legendario S. Anatolij Salinen.* ita PP. es Bollandistæ, Aug: cit. Tom. 3. ad 16. mensis ejusdem: Quibus ego lubens obsequar, & pro modulo meo dubia, quæ occur- runt enodabo, ut autem ad solvendas difficultates cæteras sternatur via, quæ- ro imprimis:

*Sitne aliquis Episcopus Sedunensis seu Ochoturensis, qui utroque nomine Theodori, ac Theoduli perinde compellandus veniat?* Pro cuius responso advertendum, bi- nas voces *Theodorus*, & *Theodulus* dif- ferre ipso', ut est notum, Nominis Ety- mo, *Theodorum* enim interpretantur *donum DEi*, *Theodulum* verò *DEi servum*, & in

varijs Martyrologijs hæc nomina inventari , quin unquam alterum pro altero usurpatum videatur , dempto codice Ursuardi illustrati ad diem 16. Aug. ubi sic legitur : *Castro Seduno S. Theodori Episcopi.* Dubium autem est , num intelligat ex binis Theodoris alterum , an verò Theodulum Carolo coævum ? econtra ad eandem diem Martyrol : S. Joannis Vesunctionen. Sic habet : *Seduni natale S. Theoduli Confessoris Episcopi Sedunensis.* Molanus ad eandem diem xvij. Aug : sic enunciatur : *eodem die S. Theoduli Confessoris Episcopi Sedunen.* Viceversa Saussæyus in Martyrol. Gallicano vocat *Theodulum* eum *Episcopum* , qui in humanis egit cum D. Sigismundo , cui suafor extiterit construendi Agaunen. Cœnobij. Secutus est utique Saussæyus vel Stumpfium , vel hujus sequacem quempiam , ex quibus colligitur , neque decursu temporum passim unum pro altero sumptum esse , *Theodulum* pro *Theodoro* , longè autem minùs primis sæculis , primus enim Episcopus , qui interfuit Concilio Aquileensi uno nomine *Theodori* esse vocatum liquet ex Baronio , & ex tom : i. Conciliorum Ecclesiæ

siæ Gallicanæ, & passim ex Scriptoribus, quicumque nomina retulere PP.um Concilij præfati de año 381. dein idem primus Episcopus eodem *Theodori* nomine venit apud Eucherium in Epist : ad Salvium Episcopum, is enim mittens *Passionis* MM. Thebæorum historiam sic inquit : *Porro ab idoneis Auditoribus rei ipsius veritatem quæsivi, ab his utique, qui affirmabant, ab Episcopo Gebennensi sancto Isaac bunc, quem retuli Passionis ordinem cognovisse, qui credo, rursum bæc retrò à Bmo. Episcopo Theodoro, viro anterioris temporis accep- perat.* Loquitur autem de Theodoro primo, nam Isaacum obiisse año. 426. refert Minutolius : Syllabus tandem præcit : Ritualis Gebennen. ponit circa annum 440. hujus autem Eucherianæ scriptionis fidem cum satis propugnet cit: D. Joseph de l'Isle ex Ruinart, & hic ex Codd: MSS: atque editis simul collatis, de ejusdem veritate non laboro. Præterea Theodorum vocant hunc scriptores pœnè omnes, qui de octodurensibus Episcopis meminere: Guilimannus de reb. Helv. I. 4. c. 3. Franc. Aug. ab Eccles: Tillemont, & passim alij Theodorum & non Theodulum nominantes

tes Eum , qui concilio interfuit Aquileensi.

Verum non censeo hisce esse immorandum , quandoquidem uniformes *E*piscoporum Vallenfium Catalogi , alij , alijs antiquiores , quos ultra decadem numerosos reperi in Archivis , & libris Castris Episcopalis Majoriae , non tantum Illum de anno 381. Antistitem *Theodori* nomine indicant , sed & alterum de anno 513. uno *Theodori* vocabulo nuncupant , ut proin arbitrer , Stumpfium , qui perinde nomen Theodori , vel Theodoli binis vallenfium *Episcopis* dandum censuit , potiorem Authorem esse hujus confusionis vocabulorum ab anno 1550. cuius utique errorem secutus est cit : Henricus Pantaleon , fassus Authorem sibi in his fuisse Stumpfium. Item Jo-sias Simlerus : Henr. Murer &c. qui postremus , etsi 3. <sup>um</sup> admittat *Eius* nominis *Episcopum* , quemlibet tamen *Eorum* posse *Theodolum* , vel *Theodorum* vocari autumat : Id quod sanè pugnat non tantum aduersus documenta citata hucusque , sed & potiorem Scriptorum veterum , & recentiorum usum , Adonis , Ribaadeneiræ &c.

*Theo-*

*Theodulum econtra seu Theodolum recte vocari illum, qui tempore Caroli in humanis agebat, constat non uno loco ex veteri Sedunen. Ecclesiæ Breviario Basileæ impresso ào 1497. ibi in festo, seu Officio Sancti proprio : Temporibus igitur M. Caroli in Burgundionum Terra conversatus est beatus Theodulus &c.* Item *ibidem in officio S. Caroli : Item in officio revelationis S. Theoduli ejusdem in ipsâ oratione non alio, quam Theodoli nomine venit, quibus consentiunt Breviaria vicinarum Dioceſeon superiùs indicata. Hinc & patet facilis accessus ad quæſtionem alteram, videlicet :*

*Sitne præter duos Theodoros vallenſium Episcopos admittendus tertius nomine Theodus M. Carolo coævus ?*

Huic veritati, quæ Carolo M. coævum constituit Theodulum Sedunorum Episcopum, ejusdémque *Donatarium*, & quæ apud nos in comperto est, refragatur opinio Stumpfij, & sequacium, aut si qui sunt, paulò anterioris temporis, volentium expunctum Theodulum Sæculi IX. ē syllabo Episcoporum, aut certè ad initium Sæculi VI. aſſe amandan- dum:

dum:at nullo prorsus rationis fundamēne id præsumunt , imò contra illiadem Testimoniorum ex Dyptichis , Indigitationis , Fastis , & Annalibus sacrīs , librīs que chronicis , & innumeris documentis tam Ecclesiæ Sedunensis , dictorūmque Castrorum Majoriæ , & Valeriæ , quam Cathedralium vicinarum Dioceſeion Ofſicijs canonicis ſuperiūs citatis ; qui auſus , quæ calliditas ſi locum habeat , ut ē Catalogo tam authentico Episcoporum ob alterius cum altero nominis parilitatem pro lubidine adverſariorum expungatur aliquis , nullus erit Principum , aut Magnatum Syllabus ſecurus , quin aliquis Eorum pro certis rerum , ac temporum coniunctionibus , pèrque hominum injuriam exterminetur , & in commentum abeat.

Tametsi verò PP.<sup>es</sup> Bollandistæ ſentiunt cum Jofia cit: nihil officere Sedunensi Ecclesiæ , ſi insignes hujus prærogativæ , ac Privilegia Caroli benefico animo in eandem derivata , ſupponantur impertita non equidem Theodulo cui piam coævo , ſed in honorem Theoduli pri- dem defuncti , & in SS.<sup>rum</sup> Album re- lati

lati e.g, Theodori II. cui & Theodoli nomen est apud nonnullos , ut visum est superius : absit tamen , ut hoc in articulo tam graviter hallucinemur nos , quibus ex tot Sedunensis Ecclesiæ documentis , seu ipsis autographis , seu Exemplaribus authenticis dictam ; Caroli , & Theoduli Episcopi vitam coœvam , & illius in hunc derivatam munificentiam edoceri licuit , & quasi in meridianâ luce inspicere imp:imis *Legendam antiquissimam S. Caroli* , Item S. Theoduli , utramque in membrana conscriptam , & cum aliorum SS.<sup>rum</sup> vitis in librum redactam , in quâ de culpâ Caroli Theodulo Divinitus revelatâ sic legitur : *Beato Theodulo Sedunensi Episcopo propter hoc ad ipsius Caroli petitionem divinam Misericordiam imploranti divinitus detecta &c.* hæc in primâ *Legendâ* , in alterâ autem sic : *Temporibus igitur M. Caroli in Burgundionum Terra B. Theodulus conversatus est.* Idem legitur in utroque Canonico officio SS. Caroli & Theoduli Breviarij antiqui Sedunen. impressi Basileæ ão 1497. & jugi usu in cho-ro decantari solito usque ad Introductiōnem factam Romani Breviarij , conve-nien-

nientibus in id ipsum etiam Breviarijs  
præfatarum Dioceſeon Gebennensis,  
Laufanen. &c. in officio S. Theoduli ad  
diem xvij. Aug.

Idem ex Diplomate Seren. mi Regis  
Rudolphi de anno 999. ibi: *Comitatum Vallensem . . . . . S. Mariae, sanctoque Theodulo Sedunensi, cuius tamen studio primum e loci aquisitus erat, donavimus &c NB. cuius studio aquisitus erat; Theodorus, seu, ut mavis, Theodulus Sæculi VI. utique non aquisivit.* Item Caroli IV. Imperatoris  
dato Laufannæ anno 1365. xj. Kal. Julij,  
ibi: *ex largiflua donatione DD. Rom. Imperatorum, atque Regum, & potissimè Caroli M. . . . . S. Theodulo pro tunc Sedunensi Episcopo, & suis in perpetuum Successoribus in Ecclesia Sedunensi contradendo &c.* Item ex actu solemní amicæ Compositio-  
nis inter Guilielmum Episcopum, & Pa-  
triotas. Brigæ [anno 1437. ibi: *Sicut & quemadmodum per S. Carolum reperitur do-  
tatum & collatum fuisse eandem Ecclesiam, & Patriam S. to Theodulo tunc Episcopo Se-  
dunensi &c.* omitto Caroli V. Imperato-  
ris de anno 1521. & complura alia docu-  
menta authentica idem continentia, quæ  
om-

omnia, junctis superius per nos allatis, evincunt, aliquem Episcopum Sedunensem *Theodulum* nomine in humanis egisse cum Carolo M. ejusque *Beneficiarum*, & illum ab antiquo *Theodulum* non *Theodorum* nuncupatum, pro ut viceversa *Theodori* non *Theodoli* vocitandi sunt illi gemini octodurenses Episcopi de annis 381. 513. Jam transeo ad quæstionem :

*Fuerintne uno, eodemque tempore duo Vallensium Episcopi, seu duo Episcopatus in Vallesia, Sedunensis & Octodurensis?*

Dubium hoc oriri potuit ex eo, quod primis Sæculis, 4.<sup>to</sup>, 5.<sup>to</sup> & 6.<sup>to</sup> Episcopi vallenium alij dicantur Octodurenses, alij Sedunenses; *Octodurensem* dicunt omnes Theodorum I. Constantium Rufum ex subscriptione Conciliorum, quibus interfueré; Florentinum dixit Sedunensem Sigebertus in chronicō: quem se qui videtur Guillimannus de reb: Helvet: l. 4. c. 3. & binos Episcopatus admittere Sedunorum, & Veragrorum: quibus proinde, ait, suæ Metropoles, horum quidem Octodurus, illorum Sedunum, & utriusque suus Episcopus. Theodorum II. Sedunensem

*nensem* dicunt complures Historici ex Stumpfio, & adulterinâ quâdam Tabulâ fundati per Sigismundum Regem Agauensis Cœnobij.

In hac sancè quæstione Nobis in loco constitutis nullum unquam succurrit dubium de binis Episcopatibus in Vallesia, sed perpetuâ traditione habemus, Octoduro primâ sede Episcorum translatam esse sedem Augustam Sedunorum, vel bellicorum tumultuum, vel exundantis *Drancie* Torrentis causâ, & occasione, neque ullo solidæ rationis fulcimine sustineri potest, in his Patriæ Vallesiae angustijs contineri unquam potuisse binos Episcopatus. Argumentum desumptum à Constantio, & Theodoro abunde refellisse me, autumo, in opusculo de Concilio Epaunen. Sigeberti autem assertiōnem in hoc articulo convulsam esse per ea, quæ superius diximus, cùm videlicet is ex Adone didicisset, Florentinum Martyrij palmam meruisse apud Sedunos, existimavit hunc Episcopum resexisse Seduni, quo loco nempe ejus tempore sedes erat Episcorum Vallesiae, ignorans fortè, mutatam aliquando fuisse

se sedem, vel ratus, translatam esse primùm post tempora Florentini Octodurum, facili equidem errore, ut pote qui non ex Syllabo Vallenſium Episcoporum loquebatur, sed vel ex Adone, & ex loco Martyrij, vel ex posteriorum temporum scriptoribus Seduni sedem Episcoporum indicantibus. Quibus omnibus perpensis melius sentiunt Bollandistæ, cum cit: Fran. Aug. ab Ecclesia Episcopo Salucien., nunquam fuisse Vallenſium uno tempore duos Episcopatus, sed Octodorensi Cathedræ successisse Sedunensem, & is optimè distinguit tres Episcopos sua singulis tempora dividens, Theodoro I. annum 381. Theodoro II. annum 508. Theodulo Caroli *Donatario* annum 805. inde & patet anachronismus in ijs, quæ enarrat Petrus Cratepolius cit: videlicet, Theodorum Sedunen. primum Episcopum Christi cognitionem Vallesiæ intulisse anno 550. & in Ejus memoriam Carolum M. Privilegijs donasse Sedunen. Ecclesiam: Etsi enim Christiana sacra invexit Theodorus aliquis in Vallesiam jam numeroſo Christicolarum incolatu adauētam, ille sanè haudquaquam est Be-

*neficiarius* Caroli, sed qui huic coævus  
vixit anno 806. nempe Theodulus Grandi-  
montanus. Simili anachronismo labo-  
rat narratio Henrici Pantaleonis quæ sic  
Sonat : „ S. Theodorus à DEo plurimis do-  
„ nis & virtutibus ornatus fuit, is enim suā doc-  
„ trinā & Pietate Vallenianos in vera Christi Re-  
„ ligione diligenter instituit, atque omnes in suā  
„ vocatione perseverare docuit : Itaque factum  
„ est, cùm post Rufum Octoduren. Präfulem E-  
„ piscopatus Sedun. à Rege Burgundionum Sigis-  
„ mundo transferretur, ut hic Theodorus ob plu-  
„ rimas virtutes Ejus loci primus Präfulus ordina-  
„ tus fuerit, unde etiam in fundatione S. Mauritij  
„ hic Theodorus cum alijs Präfulibus subscrip-  
„ sit anno post Christum 550. cùm autem mag-  
„ nā prudentiā hanc Ecclesiam administrasset, S.  
„ Theodorus, qui etiam vulgo Theodulus dici-  
„ tur, ex hac vitâ in cœlestे gaudium penetra-  
„ vit. In hujus Theodori memoriam postea  
„ Carolus M. Ecclesiam Sedunensem multis do-  
„ nis, & Privilegijs exornavit. Ita ille citans  
Joannem Stumpfium l. 2. hist. Helvet.

Hæc sanè narratio scatet erroribus,  
namque Vallenses in Fide instituisse rec-  
tiùs tribuitur Theodoro I. non II. neque  
hic fuit Caroli *Beneficiarius*, sed Theodo-  
lus: at neq; est Successor Rufi hic Theodo-  
rus, verū Illius potiùs Antecessor Con-  
stantio

stantio Episcopo intermedio , fuit enim Sigismundo Regi coævus , cuius Foundationi Monasterij Agaunen. interfuit , & subscriptisit , cùm econtra Rufus vixerit año 549. quo subscriptisit Concilio Aurelianensi tanquam octodurensis Episcopus , quod indicat nondum translatam fuisse sedem Sedunum, ut proin & Theodorus iste fixam habuerit Octoduri pri dem ante annum 550. qui non coincidit in annos Sigismundi Regis , ut patebit cuique historiæ perito.

Neque anachronismum evitat Carolus à Basilicâ Petri Novarien. *Episcopus in cit;* suo opere, cùm enim mentio Ejus sit de Theodulo Sedunensi , cuius Reliquiae inventæ sunt , & qui colitur Festo solemni xvj. Aug. , campanâ suâ prodigiosus adversus grandines , & aëris noctis tempestates , is sanè non est Ille Theodorus , qui interfuit Concilio Aquileensi longis temporibus ante Theodulum Grandimontanum, quin & festus dies est cuilibet horum vallenium Episcoporum proprius , videlicet Theodoro I. xxvj Aug. , Theodoro II. xxvij Aug. Theodulo autem xvj. ejusdem mensu. Quo

in articulo errat cum sequacibus Henr:  
Murer tribus his Episcopis unam diem  
nempe xvij. Aug. assignans.

Kevelationem porrò B. Theoduli ce-  
lebramus die iv. Septemb., Ejus enim sa-  
cri corporis Revelationem , non autem  
Theodori agi consuetum esse , colligitur  
ex Rubricis antiqui Breviarij Sedunen.,  
quæ ejus diei Officium designant, uti ipso  
die festo, & oratio sic sonat : *Deus, qui pretio-  
sas SS. rum Reliquias cum venerabili corpore  
Beati Theodoli Confessoris tui, atque Pontificis  
revelari voluisti &c.* Item in Suffragijs  
SS. rum : *Propitiare, quæsumus, Domine nobis  
famulis tuis per hujus S. Confessoris, atque  
Pontificis tui Theodoli, qui in præsenti requie-  
scit Ecclesia merita gloria, ut Ejus piâ in-  
tercessione &c.*

De hujus corporis Inventione cit :  
Illustriss. Carolus à Basilicâ Petri Nova-  
riæ Episcopus sic scribit : *Sanctus igitur  
Theodulus Patronus . . . . . Ecclesiæ  
Sedunen. etiam in hac Diœcesi magnâ sanctita-  
tis, & antiquâ existimatione in honore babe-  
tur, ut votum quoque publicum Populi . .  
. . invenerimus ejus Sepulcrum in Se-  
dunis &c.*

Etsi verò ex documentis Castris Valerianæ habeamus varias Reliquias SS.<sup>rum</sup> fuisse cum corpore B. Theoduli inventas, de ijs tamen sigillatim non facit mentionem Officium antiqui Sedunen. Breviarij Basileæ impressi, demptis MM. Thebæis Mauritio, Innocentio &c. quorum sacra quædam ossa inter dictas Reliquias fuere reperta. Itaque censeo Ecclesiam Sedunen. voluisse unà fieri commemorationem MM. Thebæorum, additis præfato officio lectionibus primæ revelationis Eorum, agendo reliquum Officij de Confessore sub *ritu duplice*; hinc pluries de revelatione istâ variatum esse confirmat Ordinarium, seu Rituale Sedunen. Castris Valerianæ.

Cæterum dictæ S. Theoduli revelationis festum celebrari exceptum est anno 1315. sic enim legitur in Annal. Castris Valerianæ Canonicorum Sedunen.

„ Año Dñi 1315. Kalendis Novemb. in ple-  
„ ña Kalendā statuerunt Dñi de Capitulo; quod  
„ amodo fiant festa, scilicet Revelatio Beati Theo-  
„ duli, & festum S. Michaëlis solempnia cum Tri-  
„ pudio, & Festum S. Amati Episcopi Sedunen. fiat  
„ duplex, sed sine tripudio, quod statutum Do-  
„ minus Aymo DEi gratia Episcopus Sedunen.  
„ in Capitulo existens laudavit, & approbavit.

Ferunt utique , inventum esse sancti  
**Theoduli** corpus in Cathedrali Sedunen,  
fortè subtus Cathedram Concionatoris ,  
at quis fuerit olim situs Ecclesiæ B. V.  
Sedunen. fueritne eo loco , quo nunc , cho-  
rus Ecclesiæ , necne ? non est compertum.  
Illiud testantur Fasti Sedunenses , prout &  
Diœceseon vicinarum officia propria ,  
Beati nostri Theoduli sac : Reliquias ad  
preces utique earum Cleri , & Populorum  
dispertitas fuisse in Diœceses Lugdunen-  
sem , Dolanam , Vesunctionensem &c. hinc  
in Catalogo Reliquiarum Cœnobij Ata-  
natensis apud Lugdunum sic legitur : *I-*  
*sem est aliud brachium argenteum , in quo sunt*  
*Reliquiae plurimorum SS. rum , & brachium*  
*S. Theoduli Sedunen. Episcopi , & Confessoris.*  
Præterea testatur Chiffletius in Prioratu  
de Joie Diœcesis Dolanæ asservari hy-  
rothecam S. Theoduli cum aliquot ejus  
ossibus , & circa alias ejusdem S. Reli-  
quias in veteri Rituali S. Stephani ve-  
sunctionensis sic præscribi : „ In die Pente-  
„ costes debet ire Processio ad sanctum Joannem :  
„ quidam Canonicus portat Reliquias S. Theo-  
„ duli , quia profunt contra Tempestates , & heb-  
„ domadarius portat brachium Protomartyris ,  
&

„ & benedicit civitatem his verbis : *per merita sancti Theoduli benedicat nos, & fines nostros Christus Filius DEi.* Idem fit cum Reliquijs Protomartyris. „ v. nonas Maij fit  
 „ Processio supra montem cum brachio, cruce,  
 „ & Reliquijs B. Theoduli, & per crucis signum  
 „ columnam benedicitur Civitas : per signum S. crucis, per merita B. Protomartyris, & per merita  
 „ B. Theoduli dicendo ; *Protege Domine &c.* Item  
 in Necrologio S. Joannis vesunctionensis  
 legitur : *iv. Idus Julij obiit Margaretha Comitis, quae instituit duos Capellanos ad altare S. Theoduli pro se, & Otbone Comite marito suo.* Hinc suspicantur ab eo Comite dictas sacras Reliquias esse obtentas, quarum proin legitimus, & immemorabilis cultus abunde probatur. Sed ne arbitreris, omnes omnino S. Patroni nostri Reliquias esse e Patriâ Vallesij exportatas, nam praeter Ecclesias alias habentur in ejusdem Sancti argentea effigie Ecclesiae S. Catharinæ Valeriae, quæ solemani ritu in pervaigilio Festi defertur quot annis ad Cathedralem Basilicam nempe Cranium Ejus, Pars occipitis, & os Tibiae vel brachij. Et in capsâ argenteâ miro opere exterius elaboratâ repe-  
 H 5

ritur Particula notabilis ex osse Brachij S. Patroni nostri cum alijs 2- ossibus reconditis in loculo holoferico coloris purpurei. Ita ex Catalogo Reliquiarum confe-  
cto per Canonicum Matthæum Molitorem  
præsente, & inspectante Diœcesano Adri-  
ano III. &c. Item S. Theoduli Reliquias  
speciatim de Tibiâ eiusdem exhibit Ca-  
talogus SS: Reliquiarum Ecclesiae Gerun-  
danæ :

Cupereat fortè scire nonnulli, quo  
in Concilio contigerit, ut Missæ sacri-  
ficia petierit Carolus, quorum alij E-  
piscopi spoponderint complurā, Theo-  
dulus unicum, hanc enim Historiam di-  
cunt non reperiri in actis Caroli M., quæ  
iustrarunt PP.<sup>es</sup> Ballandistæ ad diem 28.  
Jan. Ego pro modulo meo perinde esse  
sentio, sive huic, sive alteri Concilio in-  
terfuerit Carolus cum Theodulo: Con-  
cilia autem ejus tempore celebrata esse  
indubitatum est, & tradit Baronius cit:  
passimque Scriptores, partim in Gallia,  
partim in Italia, & in Germania, univer-  
sim undena: *Henr. Murer in Helvet: s. in*  
*vita S. Theodoli.* Dein neque magni re-  
fert, fueritne Concilium, an alias forte  
congressus Episcoporum, quorum pre-

ces ad Deum Imperator efflagitârit in suæ remissionem culpæ, quin & necesse non est ( et si ab hujuscce tramite historiæ deflectere nec libet, nec licet ) ut Sanctitas Theoduli, culpæque, ac veniæ obtentæ revelatio fuerit causa *impulsiva* ut vocant, largissimæ Donationis Caroli, ad quam potuit faciendam alijs rationibus moveri, qualibus ad dotandas tot Cathedrales alias, & insignia Cœnobio Agauensi Donaria præstanta permotus est Princeps munificentissimus.

Attamen omnem hoc in articulo Concilij dubietatem meritò rejicio in illam perpetuam Vallenium incuriam scribendi de rebus suis : Ecquid enim gloriosius Vallenium Genti ? quorum Tellurem Thebaeorū Legio pro Confessione Christi sanguine perfudit suo ? neque tamen legimus, dempto Theodoro I. quemquam scripsisse Eorum *Passionis* historiam usque ad tempora Eucherij Lugdunensis Episcopi, qui conscriptam misit Salvio Episcopo. Locus Item Concilij Epaunensis mansit Orbi pœnè incognitus, & ita dubios tenuit scriptores haec tenus, ut plerique, non posse certam ejus haberinotitiam,

am non sint diffessi, quos inter Joverius  
ait, non potuisse ex Cosmographis colli-  
gere quidquam certi de civitate Epaun-  
ensi, ubi hoc concilium celebratum,  
quò circa maluisse ignorantiam candidè  
fateri, quám aliquid incerti proponere.  
*apud Bail in annum 517. de Concilio Epaunensi.* Huic tamen quæstioni satis me fecisse  
spero in opusculo *de Concilio Epaun:*

Habemus insuper præ manibus auto-  
grapha, litteras, ac documenta varia E-  
minent.<sup>mi</sup> Cardinalis à S. Potentianâ Mat-  
thæi Schiner, è quibus relucent ejus-  
dem Gestæ præclara pro summis Pontifi-  
cibus Julio II. & Leone X. proque Im-  
peratoribus Maximiliano, & Carolo V.,  
quæ pleraque, demptis nempe, quæ scrip-  
fit Ucciardinus, Jovius, Simlerus, & alij  
nonnulli, manent Orbi incognita, ut ut  
luce dignissima, talia partim, quæ olim  
facta esse, aut fieri potuisse, vix credat  
Posteritas. sed ne ad prophana diverta-  
mur, quis est ætatis provectioris apud Se-  
dunos, qui non sit Ipse testis prodigiorū,  
quæ patravit venerabilis Matthias Will  
Canonicus Sedunen: & Collegiatæ Va-  
leriæ Decanus Curatione insperatâ ægro-  
rum,

rum, & obsessorum à maligno spiritu &c.  
 neque tamen, ut reor, cura est cuiquam  
 specialis Posterorum memoriæ commen-  
 dandi sancti viri prodigiosa gesta. Hinc  
 neque mirum sit, si S. Theoduli complu-  
 ra, pro ut & SS: Amati, Heliae, Garini Se-  
 dunensium Antistitum pro Dō, próque  
**Grege Gestæ ad Scriptorum notitiam**  
 non pervenerint. De S. Theodulo  
 Grandimontano et si Robertus Mon-  
 chus pleraque vera enunciet, Tabulis,  
 & documentis nostris conformia, per-  
 peram tamen Ei uni attribuit Inventio-  
 nem sac: ossium MM: Thebaeorum, ta-  
 cendo præcipuū Inventionis authorem,  
 Theodorum II. Episcopum Octoduren-  
 sem, cæterū de Monacho illo non me-  
 minere quidquam Tabulæ Sedunenses,  
 hic si fuisset Vallesianus, nostram sui no-  
 titiam vix effugere potuisset: plura de S.  
 Theodulo nōsse si quis cupiat præsertim  
 pro majori vitæ coævæ cum Carolo no-  
 titia, consulat Baldazanum in Thebaide,  
 Surium: Joan: Suffren *in vita S. Theoduli.*  
 P: Fr: Chiffletum *in sanctuario Jurensi,*  
*in sequanis.* Casparum Lang in *Carolo M.*  
*I. 2. 6. I. a. 4.* qui dicit Eum fuisse Carolo à  
 con

confessionibus. Ex Brusch: *de Monast.* fol: 9. cui consentit tenor citatæ superius Tabulæ ex carthophylacio Castræ Episcopalis Majoriæ de sac: Reliquijs ē Palæsti-  
nâ allatis ibi: *per fideliſſimum Confessorum ſu-  
mum Theodulum reponi mandavit.*

Illud memoratu dignum occurrit, hoc tempore videlicet ào 804. Leonē Papā III. cùm per Vallesiam nostram, invisurus Carolum Imperatorem in Gallijs, faceret iter, in Agaunensi Monasterio SS: MM. Thebæorum obijſſe solemnia, quō nempe Agaunuſ usque, Eidem Imperator obviam miserat Filium Pipinum ( alij Carolum vocant ) Ipſe demum Pontifex Augustū Rhemis adivit, & cum Eodem Aquisgra-  
num profectus, ſolemmem Apotheofin S. Sviberti veredunen. Episcopi præſente Cesare Vereduni instituit, ac demum co-  
mitante Episcoporum, & nobilium non exiguo numero per Bavariam redijt Ro-  
mam. *Foresti in Leone III. Morerus ibidem:  
Casp: Lang in Carolo M. lib: cbron: Agau-  
nen. Cœnobij &c.*

Iuvat hīc de sanctitate Caroli notare aliquid, & in primis, silentio præteritis Elogijs, quæ tribuit ei Joannes Mola-

nus Theologiæ Regius Professor Lovanij  
*in Indiculo SS. rum Belgij litt: C.* à conver-  
fione Vasorum , Saxonum , & aliorum  
Paganorum , dein & Petrus Canisius *in*  
*Martyrol.* 28. Jan. ab auctâ Imperij Reli-  
gione &c. Cæsar Baronius tom. 9. Annal.  
Eccles. anno 814. vocat Carolum M. *dignum*  
*Virtutum Exemplar , Religionis omnibus ab-*  
*solutum numeris simulacrum. &c.* Dicitque  
esse canonizatum à Paschali III. sub Fride-  
rico I. Barbarossa , idque haberi ex Ta-  
bulis Aquisgranensibus , cuius rei gestæ  
diploma assertvari ait in Ecclesia Aquis-  
granensi. Hinc & Joannes Molanus *in*  
*Indiculo SS. rum Belgij* inquit: *Sanctus Ca-*  
*rolus cognomento Magnus à Paschali P.º in*  
*SS. rum Catalogum est relatus.* Ejus autem  
Sanctitatem extollit mirifice *in additioni-*  
*bis ad Usuardi Martyrologium.* Item tam  
in Indiculo prædicto , quam chronico  
SS. rum Belgij. Denique & in Calendario  
Belgij continente festa Provinciae Lug-  
dunensis , qui & refertur in alijs complu-  
ribus Galliæ , Germaniæ , & Belgij , Ca-  
lendarijs. Quoniam verò cœptum est  
controverti , num legitimus esset *Canoni-*  
*zationis Actus Paschalis III.* ob schisma  
ejus

Ejus in Alexandrum III. Illud idcirco sufficiat , quod notant graves Authores , Pontifices Successores diploma præfatæ *Canonizationis* non abolevisse , neque impugnasse , ex quo infertur annutus tacitus Pontificis , ut colatur tanquam S. <sup>tus</sup> , pro ut colitur in Galliæ , Belgij , & Germaniæ locis pluribus . *Baron* : anno 814 . *Cardinal* : *Ostien* : *Jacob Gautbier Sec* : S. sol . 8. in *Tab: chronograph.*

## CAPUT II.

*Series , & sacra Gesta Episcoporum Sedunensium usque ad annum 1074.*

**S**Ubjungo Adalongum , dubius , sitne Theodulo ætate anteponendus , necne? Sub Judice lis est , postponunt Illum documenta quædam Agaunē . Cœnobij , & Abbatum Catalogus , qui eum refert Successorem Althei in Abbatis Dignitate , Theoduli in Episcopatu : Henricus Pantaleon in suâ Prosopographiâ assignat Ei annum 830. in *Sedunen. Episcopo* . Sanè non adeo iniqua videtur querimonia nonnullorum expostulantium de numero tot Episcoporum Sedunensium , quos sub unius  
Ca-

Caroli Regno, ac Imperio extitisse refert Catalogus noster nempe Ulcarij, Aluborgi, Althæi, Adalongi, Theoduli, ut non-nihil suspecta illis videatur tot Præsulum sedis hujus in unam Caroli regnantis ætatem contextio, Ulcarium equidem certum nobis reddit historia Francica Joannis de Bussieres, & passim Scriptorum aliorum, Althæum documenta Sedunensis Ecclesiæ præsertim Cœnobij Agaunensis varia, quos intercessisse Aluborum facile admittunt, idcirco Theodulum ex ætate Caroli expunctum volunt cum Stumpfio, & ad Sæculi VI. initium relegant, sed hanc calumniam S.<sup>to</sup> Episcopo, & Sedunensi Ecclesiæ impactam confutavimus haetenus, & confutatam videre est in opusculo cit: Conc. Epau-  
nen. Itaque suis tempore, & loco Theodulum retinemus: econtra si necesse sit, lubens ex angustijs unius biennij eximam Adalongum, ut tam Carolo, quam Theodulo juniorem, & coævum habeant Ludovico Pio, siquidem in apogra-  
pho Bullæ cujusdam Pontificiæ precibus Ludovici Pij: Francorum Regis impetra-  
tæ sic legere licuit: *in quo* (Agaunensi

Monasterio ) *Adalonus Sedunensis Episcopus sub nomine Abbatis Canonicorum Regulam regere videtur.* At verò ne Theodulum excludamus, inhibent sexcenta documenta, & argumenta irrefragabilia Caroli cum ipso Theodulo vitam coævam manifestè evincentia, ut superiori capite visum est, & pluribus locis.

Sequitur Garinus, qui in Catalogo ponitur anno 901. sub Benedicto P.º IV. & Ludovico Imperatore, qui tamen annus est obitūs Ipsius ex *Joanne Bapt: Ricciolio in bīst: Chronol. reform.* Garinus, inquam, sanctimoniæ famâ inclytus, & Divis annumeratus. Josias verò cit: collocat hunc mox post Amatum Episcopum, sed assertum non probat, verba sunt Ejus: *post Amatum Garinum Sedunorum Episcopatum administrasse, certum est, quo anno, & quamdiu? incertum ( eundem errorem haufit ex Stumpfio Henricus Pantaleon loc. cit: ) bic post obitum in Cenobio Vallis Alpium apud Equestres sepultus est.* Sed mirabitur itidem hic quis, cur tanti intervallum temporis Garinum dividat à Prædecessore Episcopo? an vacaret sedes, aut alij fors Episcopi intervenient,

tint, quorum ad nos non pervenerit mea-  
moria? prout contingere potuisse dixi-  
mus superius. Ego quod sentio in hoc  
articulo dicam ulterius: notandum est  
enim, Episcoporum annum & ordinem,  
quem eis singulis assignat syllabus seu ca-  
talogus, potiore parte non desumi à die *E-*  
*lectionis, inaugurationis, seu ingressus ad*  
*Episcopatum ( demptis sæculis binis po-*  
*stimis ) sed vel ab anno Concilij, cui ad-*  
*stitere, ut liquet in Octodurensibus, vel*  
*illustrioris functionis, quam exercuere,*  
*aut eventus celebrioris, aut actus solema-*  
*nioris, cuius extet scriptura, vel memo-*  
*ria cum Nomine aut Subscriptione Epis-*copi, ut in Hermanfredo liquet, qui fuit**  
*Episcopus jam anno 1059. ut potè quo in-*  
*terfuit inaugurationi Philippi Regis, sed*  
*annus 1070. est factæ Ei Donationis Hen-*  
*rici Rom. Regis. Quin imò annus Cata-*  
*logi non semel est desumptus ab anno*  
*obitūs, qualem ajunt esse Wilphini 942.*  
*Waltheri primi 1170. Wallielmi 1178.*  
*& Garini 901. ex Gall. Christ: Sammart:*  
*& Necrologio Castris Valeriae Eccl. adeo ut*  
*sit plerumque incertum, sitne annus ille,*  
*in Syllabum relatus, initialis, medius, an-*

nalis? Seu spectetne ad ingressum, decursum, aut finem gesti Episcopatus? Unde consequitur, evenire haud ægrè potuisse, ut Prædecessoris annus Episcopi fit initialis, Successoris autem sit finalis, adeò ut anni cæteri utriusque facilè confecerint ingens spatum temporis intermedium, quin sit existimandum, vacâsse tamdiu sedem Vallenium Episcoporum, aut alios necessariò intervenisse nobis ignotos, quid enim obstet, quin duo illius temporis Antistites spatum expleverint LXXX. vel plurium annorum in Episcopatu? siquidem revolventi illius ævi historiam, & vitas virorum occurrent alij, qui vincena plus quam per lustra venerandam canitiem felicissimè perduxerint Auctrice continuatâ cibi, potusque exilitate, exulabat enim confertarum luxus mensarum, & frugale prandium parca fructuum, vel ciborum nullo poenè condimento paratorum præbebat indulgentia, hinc febriles ardores, phtisica intestinorum correptio, asthmatica respirij suffocatio, afflictiones calculi, & sexcenta alia melioris valetudinis Impedimenta ignorabantur, quâ vivendi

di salubri methodo complures grandæ-  
vam ætatem ad extremum usque termi-  
num inoffensâ valetudine devolvisse le-  
gimus , ex quo proin conjicit aliquis  
haud ægrè , potuisse illius ævi vallenses  
*Episcopos* non exiguum sedis Episcopa-  
lis spatum , & officium explere, prove-  
ctiorem vitalis lucis usum temperantiae  
virtuti in acceptis referentes.

Volunt equidem nonnulli , quos in-  
ter *Henricus Pantaleon in suâ Prosopograph* :  
His temporibus Episcopalem sedem te-  
nuisse *Heyminum* aliquem , alijs dictum  
*Amixum* , seu *Amizo* , qui & Abbas fuerit  
Agaunen. Cœnobij , utriusque Dignita-  
tis honore auctus sub Conrado Rege , qui  
rebus potiebatur ab anno 937. ad 990. alij  
verò hunc censem esse indistinctum ab  
eo Annone , quem refert syllabus Episco-  
porum . *Sigebert in chron: lib: chron: A-*  
*gaun. Cœnobij.* Sed & necesse est , si Minu-  
tolio fides est , his temporibus vixisse *E-*  
*piscopum* , cuius notitia ad nos nondum  
pervenerit : narrat enim , Domitianum  
Gebennen. *Episcopum* , cuius Electio-  
nem approbârit Leo P.<sup>a</sup> IV. , sacratum  
fuisse assistentibus Episcopis Viennens.

Lug-

Lugdunen. & Octoduren. obiisse autem  
Domitianum anno 858. 7. Jan. qui totus  
annorum cursus cum non respondeat ul-  
li Episcopo Vallenfium in catalogo, con-  
sequitur, illius temporis Episcopum no-  
bis nondum innotuisse.

Valeat interim receptus Sedunen. E-  
piscoporum syllabus qui post Garinum  
præfatum, item Manfredum, Annonem,  
exhibit Willencum circa annum 930. ex  
quodam Instrumento Valeriæ rogato a-  
pud Agaunum pridie Kal. Oct. anno Regni  
Henrici 10mo.

Sequitur intercedente Amedeo Aymo  
primus, qui & Præpositus fuit Cœno-  
bij Agaunen. dein & Wilphinus anno 942.

Eberhardus filius Rudolphi II. Gallia-  
rum Regis, qui cessit e vivis anno 937.  
Frater Hugonis Episcopi Laufanen. ad  
Sedunensem electus est Episcopatum  
probabilius anno 958. adeoque sub auspi-  
cijs Conradi Regis Burgundiae itidem  
Germani sui, nam annus 976. quem af-  
signant Catalogi nonnulli, nisi ad gran-  
dævam omnino ætatem pervenerit, vi-  
detur nimium remotus à morte Parentis,  
ut etiam plurium annorum spatium in  
Epis-

*Episcopatu explere potuerit: annum autem 958. alegat Illius Scotus in Helvet. fac: Tit: Vescouato di Sion. desumptum utique ex probatis Authoribus, è quibus hausit & elogium Eberhardi de laudatissimo Regimine Patriæ Vallesij in hæc verba:*

*Mantenne felicemente la giurisdizione sua temporale Eberardo Figlio del Rè Rudolfo, creato Vescouo del nove cento cinquant'otto. Ita ille. Hinc inter alia laudis præconia, quæ accinebant vallenses huic Episcopo, Vallæ Comiti, & Præfecto, inveniuntur præsentes versiculi in libris Chron: Castrorum Majoriæ, & Valeriae, alijs brevitatis causâ omissis.*

*Ille Sedunensis Dominator Episcopus Orbis  
Eberardus enim Regali germine natus &c.  
Theotocos concde diu in commune precamur,  
Usibus hic nostris maneat cum sospite vita.*

Eberhardo ad Episcopale solium evecto ajunt Othonem I. cognomento magnum Româ reducem SS. Agaunensium sacra lipsana invisiſſe venerabundum, & corpus Sni Exuperij Legionis Thebææ Archisigniferi dono accepisse. Ex dictis lib: chron: Caſtri Episcopalis Majoriæ, & Agaunenſi. Cœnob.

Eber-

Eberhardum ( binis Episcopis Gui-  
liengo , & Wullielmo intermedijs ) secu-  
tus est Hugo circa annum 999. cui Ru-  
dolphus Rex , ejusdem Eberhardi nepos  
ex Patre, año VI. sui Regiminis confirma-  
vit Donationem Caroli Ecclesiae Sedu-  
nensi factam , existimo autem, fortè ex eo  
Principum Donaria illis temporibus lar-  
giori manu accessisse , quod ex familia  
planè ipsorum Principum, & Regum non  
pauci ad Infulas adsciscerentur , quod li-  
quet in præfatis Rudolphi filijs uno Se-  
dunensi , altero Laufanensi Episcopis ,  
quem alterum exhibet Syllabus Lausa-  
nensium Antistitum ad annū 1010. Item  
Burchardo Lugdunensi Episcopo Rudol-  
phi Regis III. Filio circa annum 980. alij  
tamen hunc dicunt esse filium Adelhai-  
dis , quæ subinde nupserit Regi Rudol-  
pho II. alij Conradi Regis , Fratrem Ru-  
dolphi III. dicunt. de quo *Morerus vbo:*  
*Burchard.* Idem Hugo Episcopus anno  
1014. mense Februario deferendi officij  
causa Rudolphi III. Regi , & Hermingar-  
di Reginæ tunc Agauni existentibus cum  
Episcopis Hugone Gebennen. Burchar-  
do Lugdunen. & Anselmo Augusten.

Pandulpho &c. Bertholdo, Rudolpho,  
 Roberto &c. comitibus Agaunum adiit.  
*Ex autographbo Donationis Regiae, & Annal:*  
*Cœnobij Agaun.*

Occurrunt post Hugonem Willielmus de anno 1046. & Aymo, qui alter Agaunensi etiam Cœnobia Abbas præfuit, & Leonem IX. P.<sup>am</sup> natione Gallum diversorio excepit anno 1049. ejus Pontificatus primo, cum in Galliam ad invi- sendum Imperatorem Henricum III. proficiseretur: unde Pontificis hujus Bulla, quâ corroborat privilegia Canonicorum Agaunen. luculentis verbis meminit Aymonis Episcopi, & Abbatis, meminit & solemniorum, quæ honori SS. Thebæorum MM. celebraverat in Agaunensi Cœnobio in suo ad Francos itinere, aditus Henricum Imperatorem sibi apud Coloniam obviaturum. Ita Leo *in litt: suis*, relatis in lib: chron: Cœnob. Agaunen. &c.

Sequitur Aymonem Emanfredus, seu Hermanfredus quem ab Alexandro P.<sup>a</sup> II. tanquam Legatum ejus à latere, missum esse ad Concilium Vintoniense vulgo Winchester iu Anglia congregatum anno 1069. alijs ào 1070. asseverant Annales, &

Castri Episcopalis Majoriæ. Item Baroniū pag: 98. Morerus vbo *Winchesier.* Fleuri &c. &c. quā in synodo Hermanfredus noster Stigandum Archiepiscopū Dorobernensem, seu Cantuariensem ( alijs Forgandum ) Authoritate Apostolicā exauthoravit tribus potissimum de causis , scilicet , quod Episcopatum Vintoniensem cum Archiepiscopatu per injuriam possideret, vivente eisdem Roberto Archiepiscopo assumptum: Dein quod Roberti durante Exilio , seu iniquā Ejec-  
tione in Missarum celebrationē ejus Pallio uteretur ; Denique & quia à Benedi-  
cto , quem facit Rom. Ecclesia anathema-  
te percusserat , Pallium accepit. Ita *M. L. Bail in annum 1069. de Concilio Vinton.*  
*plura Binus &c Hermanfredus adstitit &*  
*Concilio Cabillonensi anno 1072. ex Thes: A-*  
*necht: Dom: Marrene. Tom: 7.*

Cæterū Episcopum hunc , nempe Hermanfredum , missum à Nicolao Papā , dicunt quoque interfuisse inaugurationi Philippi Regis Francorum I. quam in præsentia Parentis ejus Henrici perfecit in Metropolitanā Rhemorum Gervafius de Bellême Archiepiscopus loci , die Pen-  
tecostes , seu 23. Maij anno 1059. quem

demum, mortuo Parente rerum potitus,  
Philippus creavit Regni Cancellarium,  
dico, Gervasium. *Cibifletius; Morerus Vrbo;*  
*Gervais &c.*

Perhibetur insuper ex tabulis authen-  
ticis, seu Instrumento in Castro Valeriæ  
aſſervato, Henricum Romanorum Regem  
folicitatione Conjugis suæ Berthæ Otho-  
nis in Italia Marchionis filiæ, & Spiren-  
sis, atque Burchardi Laufanensis Episco-  
porum perpetua donatione tradidisse di-  
cto Hermanfredo seu Ecclesiæ Sedunensi  
geminas chartas seu *Cortes* ut vocant,  
quas in Beneficium retinuerat, Natriam  
& Leucam cum omnibus appendenti-  
bus &c. Moguntiæ 1079, 3. Kal : Jan.  
quām proinde eximij meriti vir fue-  
rit Hermanfredus, quāmque Summo  
Pontifici, & Henrico Imperatori charus,  
ex præcitatæ allegatione, & donatione  
haud obscurè colligitur.

At mirabitur itidem aliquis, quā ra-  
tione id evenerit, ut variorum in Val-  
leñi Ditione locorum, Pagorūmque  
Dominia Ecclesijs piâ Regum liberalita-  
te contradita, jam ad hunc, jam illum  
Poffessorē ſint devoluta? Siquidem  
Ipſo-

Ipsorum nonnulla jam anterioribus sæculis tum à Sigismundo, cùm & subinde à Rudolpho Burgundiæ Regibus Cœnobio Agaunensi in Beneficium data postmodum ad mensam Episcopalem Successorum Principum largitione beneficâ sunt devoluta, quam enim exercuit donationem Henricus in Hermanfredum, jam anteriùs liberali munere Rudolphi Regis facta erat Agaunensi Monasterio anno 1014. Regni autem XXIV. & itidem quam hic præstítit eidem Cœnobio, jam fructus erat munificentiae Sigismundi Regis quò ad complura Dominia: hinc ipsum autographum Diplomatis Rudolphi præfati, quod ipse fixis oculis, & attentâ mente lustravi, munitum sigillo Regio, addito *Signeto*, ut vocant, & Inscriptione hac: *Signum præclarum, ac serenissimi Regis Rudolphi sic sonat: quorum id est, Hermingardis Reginæ & Episcoporum Sedunen. Lausanen. Geneven. Lugdunen. Augsten.*) Petitionibus benignè annuentes Donamus, imò ab Antecessoribus data reddimus tam Ecclesie Agaunen. quam Fratribus ibi DEo & sancto Mauritio famulantibus . . . . Lustriacum, Voureyum

vreyum &c. &c. ex quo colligere licet, Ejusmodi Donaria inter bellorum strepitus, Regumque in Burgundiam Dominantium mutationes esse Ecclesijs vi ablata, aut vijs alijs ad Eos devoluta: narrant equidem passim Historiographi, cum Rudolphus I. circa annum 888. Agauni Procerum, & Episcoporum consensu esset unctus in Regem transjuranum, tunc Arnulphum Nepotem Ludovici germanici, qui Imperij Rom: habendas assumps'erat, gravia bella eidem Rudolphi intulisse, tametsi hunc munitis a naturâ Alpium rupibus apud Veragros se se tuentem, pellere regno non potuit, sed & abinde secutis bellis cruentis, & Provinciarum vastationibus, Regumque in eas dominantium mutationibus contigit, ut nonnulla ad Imperatorem pervenerint, quae Henricus praefatus Ecclesiæ Sedunensi demum elargitus est, intellige, quoad dominium utile, ut vocant, nam quod ad jura praefecturæ & Regalia nullus dubito, quin alijs ad Episcopatum pertinuerint. Hæc alijs non vissis, & judicio duntaxat meo tanquam in re antiquâ neque passim nota.

Circa atnum 1100. seu initio Sæculi XII. D. Bernardus à Menthone natione Allobrox, Canonicus Regularis, & Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ Augusten. orationis assiduitate, vitæ asperitate, & ardenti in proximum charitate Dæmonibus formidabilis, comminuto Jo-vis olympici simulachro, eversâque Columnâ, *Jovis oculus* dictâ, ex quibus Dæmon respondens homines errore detinebat, in ipso Alpium Pœninarum iugo nunc *Mons S. Bernardi* nuncupato, Diœcesis Sedunen. apud Veragros, tunc Duci, seu Comiti Sabaudiæ subiectos, nunc Reipublicæ Vallesiæ, fundavit Ecclesiam, & hospitale Monasterium Canonicorum Regularium, adjuratis primùm loci Dæmonibus, & in aspera, atque invia Montium relegatis, quo in hospitali Cœnobio etiamnum ex Vallesianorum potissimum, aliorūmque præfertim Helvetiæ, Burgundiæ &c. Benefactorum pijs largitionibus quotidiani sumptus & permagni fiunt ad Hospitalum illac transeuntium cujuscunque nationis, conditionis, Religionis, & utriusque sexûs sustentationem gratis faciendam, vacante autem

Præ-

Præpositi sede nunc præest huic Monasterio & Congregationi Dom. Fran: Michelod Valletius Apostolicâ Provisione Clementis P.<sup>æ</sup> XII. fel. record: deputatus ab anno 1733.

## CAPUT III.

*Continet sacra Gesta Episcoporum usque ad Seculum XV.*

UT ad seriem redeamus Episcoporum, post Hermanfredum occurrit  $\text{æ} 1074$ . Gerardus, alijs Giraldus, cui Gregorius VII. Pontifex Max. anno 1088. scripsit Epistolam *l. i. Ep: 67.* quâ Summus hic Pontifex Arnoldo Maurianensi, Hermanno Cardinali, Hugoni Dienisi, item Gratianopolitano, & Sedunensi nempe dicto Giraldo Episcopis *Causam* commisit inter Divionensem & fructuariensem Abbates controversam. *Gallia Christiana Sammarth: in Maurianensi, & Sedunensi Episcopis.*

Jam binis Episcopis intercalatis, quos dabit Syllabus in fine, rexit Ecclesiam Sedunensem Guerinus: Is Mussiponte Lotharingiæ nobili genere natus, ab Adoles-

dolescentia suâ mundi contemptus , & monasticæ vitæ amore succensus , cùm primùm per ætatem licuit , in Monasterio Alpium Religioso Ordini nomen dedit, dein Abbas creatus , ad perfectioris vitæ rationem sub Regulâ Cistertienſum Cœnobitas composuit , ad scitis illuc Authore Bernardo jam tunc sanctitate claro Monachis pijs ē Clarevallenſi asceterio, cuius idcirco vigilantiæ etiam in provectâ ætate indeficientis elogium instituit Divus Bernardus litteris ad Eum datis. Interim de viri sanctitate ita in omnem viciniam pervasit opinio , ut anno 1138. ad regendam Sedunensem Ecclesiam in locum defuncti Edmundi Episcopi fuerit suffectus , quod onus suscepit invitus, nec nisi hortante Pontifice Max : Innocentio II. secutis itidem litteris D. Bernardi ad Monachos Alpium , quibus promoto jam ad Episcopatum Guerino Abate , ut in susceptæ observantioris vitæ Instituto persisterent , vehementer hortatur , & exstimulat , usus illis verbis Prophetæ : *Elevatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.* Item *Sequimini Patrem, Imitatores ejus estote, sicut & ipse Christi.* Guerinus

autem consuetâ vivendi ratione propè nihil immutatâ in id totus incubuit, ut collapsam Cleri disciplinam instauraret, & commissi Populi mores commutaret in meliores. Restitutionem quorundam jurium Ecclesiæ Sedunen. procuravit, adjutoribus ad id Episcopis Petro Tarantasiæ, Humberto Augustæ, & Albedo Maurianæ, de quâ memini in opusculo Concil. Epaun: §. VI. Ipse verò Episcopus priscam vitæ rationem nunquam non cordi infixam retinens, identidem adibat Alpium solitudinem, seu Monasterium, è quo cùm semel redire Sedunum niteretur mulæ insidens, miris modis progredi impeditum se vidit: Quare vir DEi, Numinis nutum è prodigio intelligens, ad Coenobium regreditur è vestigio, móxque incidit in morbum, quô pientissimè obiit 6. Jan. anno ut nonnulli arbitrantur. 1142. vel tardius, ut verius sentiunt alij, nam eo primùm anno Petrus pervenit ad Archiepiscopatum, quem refert Morerus fuisse Defensorem Alexandri III. P.æ &c. qui Petrus demum à Coelestino III. SS.º numero relatus fuerit año 1191. añus proin 1142.

si fuit primus Dignitatis Petri, & ultimus  
vitæ Guerini, eundem necesse est & fui-  
se annum Pacificationis inter Guerinum  
Episcopum & Amedeum Sabaudiæ Co-  
mitem. Hæc cinean satis cohæreant Pru-  
dentūm committo examini : Huic San-  
cto proin coævi fuere Episcopi sanctita-  
te, & viciniâ conjuncti, Petrus Taranta-  
sien., & Amedeus Lausanens. Catalogo  
SS<sup>rum</sup> pariter adscriptus ; de quibus Mo-  
rerus vbo : *Amedée Evéque de Lausanne* :  
Item : *Pierre Archevêque de Tarantaise*. ex  
*Bolland* : *Baillet vies des Saints*. Chast : *Mar-  
tyr* : tom : I. pag. 90. *Epist. sancti Bernardi* 253.

Cæterūm Beatum Guerinum no-  
strum, cui in choro Ecclesiæ Alpium ere-  
xere tumulum marmoreum, quatuor  
columinibus insistentem, venerantur co-  
pioso affluxu vicini populi miraculis cla-  
rum, & etiam solo attactu clavis, quam  
Eidem à Papâ donatam dicunt, prodi-  
giosum in sanandis tam pecoribus, quam  
hominibus, ut nōrunt finitimæ Provin-  
ciæ Burgundiæ, Vallesiæ, Sabaudiæ, Fri-  
burgi Helvetiorum & aliæ. *Petrus le  
Nain in vita S. Guerini* : *Chron: lib: Epis-  
copatus Sedunen.*

Tem-

Temporibus his transiit hanc Papam Eugenius III. faciens iter in Galliam, in eadem comiter receptus à Ludovico Rege, quo in itinere, & transitu per Vallesiam consecravit Eugenius noviter extructam Ecclesiam S. Mauritij Agaunen. año 1146. 2<sup>do</sup> nempe sui Pontificatus 8. kal: Jan. *Morerius in Eugenio III. Annal: Cœnob. Agaunen.*

Cæterum post Guerinum consequitur suo ordine Ludovicus Sedunensis Episcopus, qui Agauni cum Amedeo Episcopo Lausanensi interfuit Actui donacionis Tabulæ 60. marcarum auri factæ Amedeo Comiti Sabaudiæ processu ad Cruciatam hyerosolymitanam. lib. chron: Cœnob. Agaun. Casp. Lang. l. 2. c. 1. a. 4. E contra Humbertus dicti Amedei Comitis filius præsentibus ijsdem Episcopis Ludovico nostro & Amedeo Lausanen. ào 1150. relaxavit Cœnobio Agaunen. vadimonium de Bagnes *cum curtibus suis*, ut vocant: Amedeus autem hic Lausanen. Episcopus, antè Abbas altæ combæ Cisterciens. Ordinis scripsit Homilias octo in laudem B. V. impressas inter opera Leonis, Chrysologi, Fulgentij, obiit 1159. in SS. rum Catalogum relatus. Epitom:

chronol: āi 1735. Gall. Christiana Sammārt.  
in Laufanen. Episcopo.

Denuò hīc intervenientibus binis Episcopis, quorum nomina exhibit syllabus in fine, succedit Willielmus, alijs Willielmus Sedunorum Episcopus, & Abbas Agaunen: hunc magnâ sagacitate ac virtute virum perhibent Decimas quasdam donâsse Capitulo Sedunen., Petro, & Aymone Fratribus, ac sorore Bosonâ annuentibus: donâsse & sacra quedam lipsana MM. Thebæorum Collegio Canonicorum Embraci in Pago Tigurino perhiberi dicunt ejusdem litteris. chrō: lib: *Castri Episcopalis Majoriae: Josias Simlerus l. 2. Vallesiae.*

Jam Conon occurrit Sedunensis Episcopus, qui interfuit Concilio Lateranensi generali anno 1179. 5. Martij, & subscripsit se ex Provincia Tarantianâ Sedunensem Episcopum, Concilio inquam, generali sub Alexandro III. convocato ad reformatos mores, atque schisma tollendum Friderici I. Imperatoris, qui summo Pontifici tres Antipapas oppuerat sub nominibus Victoris IV. Paschalis III. & Calixti III. Morerus in Ltera-

teranen. Cone: III. generali. Foresti. hujus quoque Episcopi Cononis extant pactionis actus cum Wullielmo de Turre super civilegio in annum 1181.

Sequitur Cononem alter Willielmus, cui Henricus VI. Romanorum Rex confirmavit jura Episcopatus Sedunen. & de ijs *investivit* año 1189. apud Basileam Nonis Maij, Regni autem anno XX. quoniam verò is præfuit & Abbatiae Agaunensi, visitaturus Prioratum *de fine muro* dictum in Burgundiâ, eidem Abbatiae jure annexum, vitâ illic functus esse perhibetur, sepultus ibidem loci ante altare magius. *Ex lib: cbron: & Necrolog: tam Castris Episcopalis Majoriae, quam Agaunen. Cœnob:*

Binis itidem intercalatis Episcopis, quos indicabit Syllabus, obvius est Nantelmus, alijs Nantelinus; Is rexit Sedunensem Ecclesiam anno 1198. quo interfuit cum Nantelmo Gebennen. Episcopo amicæ Paktionis actui inter Thomam Humberti Comitis Maurianensis Filium, & Guntherum Abbatem Agaunen. ratione Vallis de Bagnes teste inter alios Wullielmo Decano Sedunens. idcirco non possum Eorum accedere opinioni, qui

qui ex Necrologio quodam Nantelmum affigunt an. 1258. nam idem Nantelius noster & fuit praesens donationi villæ de Vinses per Bosonem de Sirro factæ, in quod tempus cum conveniant Idem Nantelius, Guntherus, Wullielmus, & Boso, non est ratio, ob quam à recepto Episcoporum syllabo desciscamus: Eundem Nantelium fuisse & Praepositum Ecclesiæ Lausanensis perhibent Tabulae Valerianæ.

Jam bini iterum si prætereantur Sedunorum Episcopi Guillielmus, & Verinus, uterque de Saillone (nam quæ protuendis Praefecturæ juribus præclarè gesit Verinus, strenue juvantibus Patriotis, non sunt hujus loci) occurrit Landricus, de quo juvat meminisse illius Canonis, qui habetur c. cum nostris de Concess: Præb. & Ecclesiæ non vac: Ubi Innocent: P. III. an. 1216. qui erat ultimus ejus Pontificatus, scribit Basileensi Episcopo, ut Episcopum Sedunensem (*Landricus erat*) ad resignandam Praeposituram Lausanensem, ad quam ipse Lausanen. Episcopus, & Canonici, etiam si assumptus esset Landricus ad Sedunen. Episco-

piscopatum, denuo Eum elegerant, ita ut illam, sicut antè, possideret, compellat, nisi ex Indulgentiâ sedis Apostolicæ, vel ex necessaria causâ aliquâ Ei concessam esse ostenderit: ibi in notis: *Postquam Dñs Sedunen. Episcopus, qui Præpositus fuerat Lausanensis, fuit in Episcopum consecratus, Lausanense Capitulum Ei Præposituram illam iterum concessit babendam, in hoc utilitatem Ecclesiæ suæ, necnon & antiquam consuetudinem attendentes &c.* Cæterum Landricum fuisse Episcopum jam an. 1215. constat ex Tractatu ejusdem anni inter ipsum, & Ecclesiam Agaun. 3. Id: 7bris Item de hoc Episcopo authenticis scripturis habetur, quod illius tempore, videlicet anno 1233. xv, Kal: Junij Aymo Comes Sabaudiæ agnōrit Castrum, *de la Seye* dictum, pertinere ad Ecclesiam Sedunen. paratus demoliri alterum, nempe de Monte hordeo, quod in Territorio ejusdem Ecclesiæ construxisse convetus fatebatur. De Landrico quoque affirmant nonnulli, adstitisse illum Conclilio Romano anno, ut arbitror, 1210. nam pro comperto habetur, Inocentium III. Summum Pontificem 3. kal. Maij scripsisse

sisse ad Episcopos Tarantafiensis Provinciæ , è quâ hauddubiè erat & Landricus noster.

Landricum secutus est in Episcopatu Bofo de Granges , ut liquet ex actu authentico , quo is Ecclesiæ Sedunensi , & mensæ Episcopali donavit , quidquid iure hæreditario possidebat à Massona superius in Parœcijs de Morgiâ , Aragno , Conches . Item quidquid infra Castrum de Granges , ita ut hæredes sui de Granges omnia reciperent in feudum ab Episcopo ita an. 1241 . ex quo patescit error Eorum , qui Bosonem Petro Tarantafien Archiepiscopo coævum afferunt , adeoque Garino Episcopo antecessisse , siquidem hic arbiter extitit cum Petro præfato in actu amicæ Conventionis inter Agaunen Ecclesiam , & Guidonem de Ailingio initæ Salvani v. kal: Martij an. 1138 . seu circa , regnante Conrado Rege , intervenientibus quoque Augustensi , & Maurianensi Episcopis : obijt Bofo redux ex peregrinatione Hyerosolimitana , prid: kal: Feb Ex Necrolog: Valeriae .

Multa acta sunt apud Vallenses , & ardua Henrico de Raroniâ Episcopo , sed non

non sunt hujus loci , illud potius huc pertinet , quod asseverant libri chron : Castris Episcopalis Majoriae , & Gallia Christiana in *Sylvanecten*. *Episcopo* apud Sammarth : in annum 1264. his temporibus donatum esse S. Ludovico Galliarum Regi brachium sinistrum S. Ducas Mauritij , & corpora Sociorum omnino quatuordecim , delata Sylvanectum ad Sacellum Regium , quorum honori , cum affluxum devoti populi non caperet Sacellum , Rex extrui demum curavit Ecclesiam Canonicorum , annexam Ecclesiae Agaunensi , praesente Roberto Episcopo Sylvanecten . erectus est de hoc actus apud Crispianum an. 1264. mense Martio : Sed & Henricō episcopō editus extat actus quispiam apud S. Germanum an. 1271. 13. Kal. Maij.

Subsequitur Rudolphus de Vallepellina , de quo habetur tractatus cum Cœnobio Agaunen . de anno 1272. pridie Kal. Octob. editus apud saxa ratione Ecclesiarum curatarum Cœnobij ejusdem.

Rudolpho autem successit Petrus de Orens , seu ut malunt aliqui , *de Herens* , de quo perhibent , an. 1282. mense Xbri

inivisse foedus solemne cum neo-Electo  
 episcopo Curiensi Friderico Comite de  
 Monteforti, foedus, inquam, mutuum,  
 & vel maximè acceptum Friderici Fratris-  
 bus, Willhelmo Abbatii Sangallensi, Hen-  
 rico Præposito Curiensi, Rudolpho Co-  
 miti de Montfort, Ulrico, seu Udalrico  
 Comiti Bregentij, Hugoni &c. *Joannes*  
*Gulerus de Veineck in descript: Rhætiæc: 10.*  
*chron: lib: Sedunen: Ecclesiæ, & passim re-*  
*rurum Helvetiarum scriptores. Extat & alias*  
*actus ejus de an. 1287. fer: 4. ante festum*  
*S. Valentini Seduni editus. Idem Petrus*  
*fertur habuisse fratrem Gerardum no-*  
*mine Decanum Valeriæ & Cantorem Lau-*  
*fanens.*

Quæ egit Successor Petri Bonifacius  
 de Challand, strenuâ Patriotarum operâ  
 adjutus, spectant potissimum ad histo-  
 riæ prophanam, quæ proin utùt peren-  
 nibus digna encomijs, tacitus prætero,  
 ad sacra autem pertinent Indulgentiæ 40.  
 dierum perpetuæ à Bonifacio concessæ  
 ijs omnibus, & singulis, qui ad cereos  
 honori SS. Mauritij & Sociorum arsuros  
 tribuerint aliquid in Ecclesia Agaunen-  
 sis Cœnobij. Ita pridie Kal: Xbris anno  
 1303.

JAN

Jam obvius fit Aymo de Castellione, cui Clemens P.<sup>a</sup> V. negotium commisit pro rei æquitate assignandi, seu uniendi Einsidensi Monasterio binas Parochias *Meylan & Sarmenstorff* junctâ ad id ope-râ Abbatum Engelbergæ, & S. Blasij an. 1310. *Hartmann in Annal: Herem: apud Casp: Lang. loc cit:* Supremas Tabulas condidit Infirmus in Castro Turbilionis anno 1323. 6. Id. Julij, & obiit 17. Kal: Aug: anni ejusdem ex Necrol: Valeriae.

Aymonem, solo Petro episcopo intermedio, sequitur Aymo, nempe illum de Castellione Vallis Augustæ Prætoriæ, alter de Turre potenti apud Vallenses profapia natus; hic permutat an. 1326. Prioratum vallis Illiacæ Montheolensis cum & pro Prioratu Parochiali Gerundæ Sirranorum 15. Jan. spiritualia spiritu-alibus commutando initâ pactione cum Abate, & Monasterio de Abundantiâ, ad quos dictum Prioratum pertinuisse constat. Hinc, ut non erat incelebris jam illâ ætate Ordo S. Brunonis, Idem Aymo episcopus eundem adscivit in Diœcesin suam, & an. 1331. 19. Jan. unâ cum ne-pote Ejus Petro de Turre, Dño Ca-stel-

stellionis , & Domicello Joanne de Anniviso fundavit illic loci Monasterium Carthusianorum concessâ illis Ecclesiâ , & Prioratu Gerundæ , deditque in Dotem , annumque proventum , & ad Monachorum sustentationem totam Cristam , ut vocant , seu Territorium loci Gerundæ cum varijs per varia loca alia redditibus , censibus &c. Merum tamen Imperium Cristæ sibi , atque suis in episcopatu Successoribus retinens . At nequaquam diu substitit Ordo Carthusianus in Vallesiâ , nam bellis & calamitatibus , necnon inediâ pressi Gerundenses Cœnobitæ sponte locum deseruere , præsertim quod Sac. Ordinis Regulam illis loci , ac temporum duriorum conjunctionibus observare non posse dictitarent . ex chartophylacio Gerundanæ Ecclesiæ , & lib : cbron : Castri Episcopalis Majoriae .

Aymoni successit Philippus Gastonius , seu de Gastons año 1338. 8. Junij ex Tabulis vaticani , quem autem Episcopatum nempe Sedunensem resignavit an. 1342. ad Niciensem ArchiEpiscopatum electus , hunc annumerat Gallia Christiana Sammarth : Episcopis Niceni-  
fibus

fibus post Guiliel'mum Amesini istis verbis: *Philippus Gastonius (Gaston) ex Episcopo Sedunensi* *buc translatus an. 1342.*

Hunc secutus est è Tavellianâ familia Guicciardus Tavelli de Granges, vir eximiâ pietate, & sumis virtutibus præditus; hic Sedunense Castrum *Majoria* dictum à nob: Bartholomæo de Grisiaco *Majore* Sedunensi, & Con-Domino Batij Ecclesiæ Sedunensi acquisivit erecto ad id in scriptis documento in arce *setæ* 15. Jan. 1372. graves autem à varijs vexationes passus, ac persecutiones, graviorrem tandem, & extremam subiit ab Antonio de Turre Milite, qui effractis valvis *Setæ* Castrî pientissimum Antistitem, ejusdémque Capellanum, fortè persolvendo horis matutinis Penso canonico vacantes, impio, atque crudeli assultu prehenſos è Castro, & præaltâ, cui inædificatum est, rupe præcipites dedit, atque ita infontes enecuit an. 1375. v. Id: Aug: : Causam nefandi Parricidij, qui facinus recensent, in eo constituunt, quod Episcopus aliqua seu Prædia, seu Jura Ecclesiæ Sedunensi salva vellet, ac tueri conaretur, quæ econtra Antonius præfatus

fatus sibi vendicabat. lib; chron: *Castri Episcopalis Maj. & Arcis Valeriae Can: Sedun. Henr: Murer in Helv: Sta.*

Interim Clero, & Populo indignam  
sui Præfulis necem animitus dolentibus  
curatum est utriusque funus in Cathedra-  
li Ecclesia, & quā votis, quā & obla-  
tionibus defuncti Episcopi tanquam  
Martyris sepulchrum adornatum. Insu-  
per crudelem Episcopi necem publico  
Consilio statuerunt Seduni vindicare, &  
collectis suorum copijs Antonio, ac se-  
quacibus Ejus bellum inferunt, quo  
commissis iteratis prælijs adversus Anto-  
nium, & qui in ejus suppetias venerant,  
victores facti, arces tandem, & Castra  
Turrianæ familiæ invadunt, ac demo-  
liuntur, atque ita eversâ potentiâ Tur-  
rianâ, familiâ extinctâ, & opibus disper-  
sis Pax & tranquillitas Vallensium est  
subsecuta. Pluribus vastationes has, &  
tumultus bellicos describit *Josias l. 2. de Valles:* Cæterūm eodem Guitiardo  
Ecclesiam Sedunen. regente transiit per  
Vallesiam nostram Imperator Carolus  
IV., Avenione redux, ubi Sumum Pon-  
tificem Urbanum V. inviserat anno 1365.

Agauni sac. Lipsana Thebæorum MM: & S. M. Sigismundi , ac filiorum ejus summo pietatis exemplo veneratus , & donatus aliquot insignibus Reliquijs , suæ in eosdem piæ liberalitatis Insignia , pretiosa Donaria reliquit. *Annal: Cœnob: Agaun. Henricus Murer in vita S. Sigismundi.* regendæ verò Sedunensi Ecclesiæ successit Edoardus de Sabaudiâ an. 1376. Filius Philippi Principis Pedemontij , Achajæ , & Moreæ , cuius duo quoque Germani fuerant Episcopi Thomas , & Amedeus , ille Taurinensis. hic Maurianensis , & Laufanensis . Fuit autem Edoardus noster primùm Cœnobita Ordinis S. Benedicti , Burgeti Prior , dein Abbas S. Justi Secusiæ , Bellicensis dein Episcopus , ac demum Sedunensis , postremum verò Archiepiscopus Tarantasiensis , etiam Sacro Cardinalium Collegio annumeratus. Ita *Pbilibert: Pingonius in arb: gentil: Sab: Princ: Morerus vbo: Savoye tit: Succession chronologique n° XI. vbo: Pphilippe de Savoye.*

Edoardus consecrationis munus impedit Ecclesiæ S. Sigismundi Agaun. & S. ti Martyris sac. Reliquias honore publico colendas exposuit concessis in per-  
pet-

petuum quovis anniversario dedicatio-  
nis die XL. dierum Indulgentijs sub 25.  
Oct. añi 1380. edito super hoc in scriptis  
solemni monumento Guerato Abate.

Quæ autem gesta sunt hunc inter E-  
piscopum, & Patriotas Vallesij non sunt  
hujus loci , & pertinent ad bellicos tu-  
multus anni 1384. quo nimirum ãno A-  
medei rubri Comitis Sabaudiæ opera re-  
stitutus est Edoardus in Castra sedis Epis-  
copalis , hanc tamen biennio pòst , seu  
an. 1386. quòd pace perfui inter Vallen-  
ses non posset, deseruit, promotus illico  
ad Archiepiscopatum Tarantasiens. dixi  
autem, restitutum esse sedi Episcopali per  
Amedeum rubrum filium Amedei *comes*  
*viridis* dicti, de quo Pingonius cit: ait: ..

..... *Sine sede Sedunus*  
*Hoc sine Pastor erat.* Successit  
enim Amedeus ruber Parenti suo in  
Regimine anno 1383. & mox Edo-  
ardum restituit nempe anno sequenti  
1384. initâ , & jurejurando firmatâ pac-  
tione inter Amedeum ipsum , & Patrio-  
tas Vallesij supra Rupem Valeriæ ante  
portam majorem Castris Canonicorum  
Sedunen. Hunc proin Amedeum Filium  
Comitis *viridis* erroneo calculo Fratrem

*Edoardi dicit Simlerus cit:*, nam *Edoardus noster Patrem habuit Philippum Achiae Principem*, qui proin & Pater extitit Amedei Ducis copiarum contra Vallesios, sed hic tametsi pro *Agnato suo Amedeo rubro copijs imperabat*, tertum tamen Sabaudiæ non potiebatur. Hinc isto extincto an. 1391. Sabaudiæ Administrationem naœta est *Bona ejus conjux pro Successore Filio Amedeo Minorenii*, dicto subinde *Pacifico* extantibus de año 1392. Pacis initæ documentis inter *Bonam Sabaudiæ Comitem ex unâ*, & *Humbertum de Billiens Episcopum*, atque Patriotas Vallesij parte ex alterâ.

Secutis dein in *Episcopatu binis Guilielmis de Raronia post Humbertum*, cùm Eorum primus cognomento *Bonus ipsum Episcopatum ex cessione Henrici de Blanches*, quem præ senio censebant in eptum recuperandæ Terræ Ecclesiæ Sedunensis, suscepisset, & aliquot annis administrâisset, supremum diem obiisse dicitur in Castro *Setæ* conditis illic ultimæ voluntatis Tabellis an. 1402. 27. Maii qui & ibidem contulit Ordines sacros 6. Maij anno 1399. ex *Annal: Castri Valeriae.*

Guilielmus alter præfati Episcopi ne-  
pos, Guicciardi Ballivi Filius, cùm vitæ,  
& Regiminis defectibus laboraret, Con-  
firmationem Electionis ad Episcopatum  
dicunt non obtinuisse: Sub Eo tamen  
ipsum inter, ac Patriotas ex unâ, & inter  
Sabaudiæ Ducem Amedeum parte ex al-  
terâ initus est Pacis Traëtatus an. 1410.  
& alter alteri idem nempe Guilielmus,  
& Amedeus sibi mutuis oneribus Ho-  
magia præstitèrè Agauni 1415. 18. 7bris.  
Factus autem Guilielmus invisus Patrio-  
tis, ortisque tumultibus in Vallefiâ, con-  
fuluit sibi fugâ ad Bernates, quorum ci-  
vis erat, an. 1417. quo ipso anno dicunt  
interfuisse concilio Constantiensi. Cæ-  
terùm hunc Guilielmum Simlerus *l. 2. de  
Vallefia* opinionem Stumpfij secutus,  
censet esse eundem, qui rexit demum Se-  
dunensem Ecclesiam post Andræam de  
Gualdo, qui finito dicti Andrææ potiori  
operâ, bello Raroniano sedi Episcopali  
restitutus fuerit. At verò cohærere hæc  
non posse ostendam, sequentibus ratio-  
nibus instructus; I. Syllabus uniformis  
Episcoporum non tantum non meminit  
esse eundem, sed Antecessorem Andrææ  
Guit-

Guitschardi de Raroniâ Ballivi filium nuncupat , cùm doceat econtra, Episco- po Successori Parentes fuisse Ægidium de Raronia , & Isabellam de Syllinen . II . Ille anno 1417 . ex Arce *Setæ* dimissus , & Bernam profugus , invitatur àno eodem ad Concilium Constantien . pro eligendo Summo Pontifice , & ne quid detrimen- ti ex absentiâ suâ pateretur Dioœcesis , vi- ros cònstituit à varijs officijs Regiminiis Episcopalis teste Instrumento ad id e- recto 1 . Octob . anni præcitati . Cùm autem perseverarent etiamnum turbæ in Valle- sia , misit huc Concilium Andræam de Gualdo , qui vicario nomine administra- ret Episcopatū , à quo demum an . 1424 . 28 . Oct . emanavit sententia Excommu- nicationis in eundem prætensem Elec- tum Guilielmum tanquam Turbatorem Patriæ , & Episcopatū &c .

Litteris denique Eugenij P.º IV . año primo Pontificatus seu 1431 . Andræas in- stituitur Sedunensis episcopus , qui an- tè vicariam tantùm operam navabat re- gundæ Sedunensi ecclesiæ , hinc in pac- tis conventis inter Andræam , & Valle- fianos an . 1435 . 2 . Martij , is non jam

Administratoris nomine venit, sed Episcopi, quae utique innuunt vixisse Guilielnum Sedunensem Electum, seu Episcopum usque ad 1431. quo Andræas fuit creatus Episcopus. III. Guilielmus Andrææ Successor Ægidij ac Isabellæ Filius Confirmationis litteras obtinuit tam ab Eugenio IV, qui eum dicit in Diaconatus Ordine constitutum sub datâ Bononiæ 4. Non : Jun. 1437, quâm à Basileen-si Synodo sub xi. Sept : 1439. Basileæ, quin meminerint ullo modo prioris cunjufdam Electionis, seu præviae ad Andrææ Administrationem, sed posterioris ejusdem Andrææ obitu. IV. Andrææ Successorem, cùm eligeretur, fuisse tantum trecennem docet vetus Epitaphium honoribus utriusque incisum lapidi murali Cathedralis Ecclesiæ, quo solo testimonio auffertur omnis dubitatio in re propositâ : quin & constat insuper ex litt : Synodi Basileen-datis 5. Id : Julij 1438. Guilielnum Successorem Andrææ consentire *sui ipsius* ad Episcopatum electioni noluisse, nisi Ecclesiæ Sedunensis Jura redintegrarentur, cùm Antecessor electus vice-versa Elec-

ctionem de se factam remis, ut vocant,  
 atque quadrigis tueri conaretur, quo circa  
 ob natas hoc tempore turbas, & mo-  
 tus bellicos in Vallesiâ, Guilielmo de-  
 dum Bernæ agente, jussus est à PP. Con-  
 cilij Constantien. ut superius dictum, præ-  
 fatus Andreas Archiepiscopus Collo-  
 censis, miræ prudentiæ vir, Ecclesiam  
 Sedunensem administrare an. 1418. cujus  
 ecclesiæ administrationis, & regiminis ita  
 omnes partes explevit, ut illis afflictis  
 temporibus, quantum potuit mederi fa-  
 tagens, Pacis secutæ Author præcipuus  
 haberetur, cujus & honori supremo  
 Mausolæum erexere in Cathedrali Sedu-  
 pensi hac Inscriptione juxta positâ,

„Anno Dñi M.CCCC. XXX. VII. die  
 „Mercurij xvii Aprilis obiit horâ Comple-  
 „torij in Castro Majoriae R. P. D. Andreas  
 „deGualdo Episcopus Sedunen. qui rexit  
 „Ecclesiam Sedun. XIX. annis, cui succe-  
 „sit R.P. D Guilelmus de Raroniâ tercen-  
 „nis, qui electus in episcopum unanimo  
 „consensu Cleri, & Populi Vallesiâ die xxiv.  
 „mensis Januarij prædictorum, qui rexit  
 „Ecclesiam annis XIV. qui obiit die xxx.  
 „mensis Januarij an. Dñi M.CCCC.LI. in  
 „Palanchia, & jacet in Valcriâ.

Andræas, cùm Coenobium S. Martini  
Gerundense à discessu PP. Carthusiano-  
rum propè 80. annis vacâsse, factâ ejus  
reparatione suffecit Religiosos viros de  
Carmelo nuncupatos, & cùm etiamnum  
animo retinerent possessionem Carthu-  
siæ Jurium, ac Prædiorum dicti Mona-  
sterij, is missis Procuratoribus ad Car-  
thusiæ Capitulum, sollicitavit, ut vel lo-  
cum repeterent, vel sibi Episcopo cede-  
rent pro alio Religioso Ordine, quod &  
præstiterent sub conditionibus nonnullis,  
asseverantes, ex sacri Ordinis Instituto  
Carthusianos nunquam repetere loca,  
quæ semel dimiserint. Ita litteris datis in  
„ Capitulo anni 1427. 27. Maij, secutâ Ces-  
sionis laude Apostolicâ à Martino P. V.  
„ atque etiam septem Valleſiæ Decenna-  
„ rum sub totidem Sigillis Salvi Conduc-  
„ tûs, ut vocant, litteris pro inducendo  
„ novo ordine ex Comitijs generalibus  
„ Vespiæ 1428. 10. Junij. Acceptis utrin-  
„ que his conditionibus præcipuis. I. ne  
„ essent conventuales Fratres cum Priore  
„ plures tredecim, è quibus sex essent Sa-  
„ credotes & in illis quatuor à confessioni-  
bus duo à concionib' in lingua germanicâ,  
& Gallicâ, ex

**ex** reliquis senis essent quatuor Diaconi, aut Subdiaconi, bini Acolithi &c. Item septem conversi, ut vocant, Fratres, universim viginti. At ne quidem PP. Carmelitæ diu substitûre hîc loci. Extata utem insignis ab eo tempore Sac. Reliquiarum etiam primi ordinis Thesaurus, & Earum catalogus confectus an. 1480. Pontificatus Walteri de Saxo anno vicefimo. Veneratur adhuc Gerundensis Ecclesia Patronos primo loco B. V. Mariam, dein S.<sup>um</sup> Martinum Turonensem, tertio S. Mariam Magdalenam, eorum etiam Sac : Reliquijs decorata. *Ex Carthopbyl: Ecclesiae Gerundanae: lib: chron: Castri Epalis Maj: Jos: Siml: l. 2. de Valleſia.* Seuti sunt in Episcopatu bini Guilielmi, præter equidem calculum nonnullorum, unus de Raronia, qui in Diaconatus Ordine constitutus, litteras ab Eugenio IV. accepit in primis ob reservationem ab eodem Eugenio factam, irritam declarantes Electionem Capituli de illius Personâ in Episcopum, dein quibus tamen ipsis in bonum Sedun. Ecclesiæ eundem Guilielmum præficiebat in Episcopum. Ita Bononiæ iv. Non: Jun. 1437. at Gui-

lielmus noster electionis confirmationem  
 rurum à Basileensi Synodo petere jussus  
 fuit, eò quòd contra ejusdem Inhibitio-  
 nem Episcopatui esset præfectus ( *tenor*  
*est litterarum Synodalium sub xi. Septemb.*  
*1439.* ) præficiente nempe Eugenio IV.  
 alias Gabriele Condulmario , unde com-  
 mittit synodus Ludovico Cardinali Are-  
 latensi Archicancellario suo , ut Guiliel-  
 mum electum ab incursis censuris , & ir-  
 regularitate absolvat , sic ut consecratio-  
 nis munus assistantibus duobus vel tri-  
 bus Episcopis accipere possit : Hic  
 autem nota Nicolaum Successorem eu-  
 genij P. non irritâsse collationes , con-  
 firmationes &c. ab illâ reprobata Synodo  
 factas. Extant insuper ejusdem Eugenij lit-  
 teræ ad Sigismundū Imperatorē coimen-  
 dantis Guilelmum nostrum ejus Protec-  
 tioni datæ an. 1437.4. Non. Jun Bononiæ.

Visitavit hic episcopus Claustrum ,  
 feu Cœnobium VV. Monialium de Viesch  
 an. 1444. Inter Ipsum autem & Capitu-  
 lum Sedunense ac Patriotas ex unâ, nec-  
 non inter Ludovicum Sabaudiae Ducem,  
 ac DD. Bernates parte ex alterâ inita est  
 mutui foederis Pactio an. 1446. tandem

Româ redux , quò fuerat evocatus ad causam dicendam super quibusdam Pacis conditionibus vitâ ejus durante duntaxat valituris inter ipsum , & Populum Vallesianum initæ , ut ait Siml : cit : , obiit Pallantiæ in Ducatu Mediolanensi , & ejus corpus curâ Agnati sui Henrici Esperlini Decani Sedunensis delatum est Sedunum , & sepultum in Ecclesia Castris Vaieriæ.

Guilielmus alter fuit Cardinalis de S. Sabina , clarissimo genere d'Estaing Verdunensis Diœcesis oriundus , Archidiaconus Verdunensis , dein Metensis , ad Synodum Basileensem missus , Electioni interfuit Felicis V. qui in suâ obedientiâ constitutus , eum Purpurâ donavit an. 1444. dein extincto Schismate denuo per Nicolaum Papam Cardinalium numero accensitus an. 1449. 19. Xbris , ac demum anno sequenti ab eodem P.º Nicolao suffectus in locum Henrici Esperlin de Raroniâ in Episcopatu Sedunen. an. 1451. hujus Electione declaratâ irritâ , circa quam cum orta essent dissidia , tandem Pacis firmandæ causâ Patriotæ númerosi , bonoque concordiae intenti , nomine septem LL. *Desenorum* congregati , redu-

xerunt Ecclesiam Sedunensem ad Jura,  
 & Libertates D. Caroli donatione con-  
 ceras. At Idem Esperlinus , cùm post  
 rem compositam cum Cardinale à S. Sa-  
 binâ , & Electionis suæ confirmationem  
 demum obtentam annis paucis in Epis-  
 copali munere versatus fuisset, obiit año  
 1457. die 15. Xbris , & in Ecclesia Vale-  
 riæ sepultus est. lib: chron: Castris Episcopa-  
 lis Maj. Morerus in Syllabo Cardinal: vbo:  
 Huln.



## PARS II.

### SECTIO UNICA

*Acta Catholica Episcoporum Sedu-  
 nensium usque ad annum 1743.*

### CAPUT I.

*Gesta Episcoporum ab anno 1458.  
 usque ad 1600.*

**D**efuncto Esperlino successit Wal-  
 therus Supersaxo de Aragno año  
 1457. ut ex Calixti P.º ad electum  
 lit.

litteris liquet anno præfato datis, & ex  
 actu Capitulari electionis celebratæ die  
 20. Xbris in choro Cathed: Ecclesiæ Se-  
 dunensis, ipsò equidem Walthero tunc  
 absente & moram trahente Aragni. Conse-  
 cratus Novariæ à Jacobo Philippo loci  
 Episcopo in Capellâ Episcopali an. 1459.  
 4. Martij, cujus tempora sunt memora-  
 tu digna duobus præcipue casibus, vi-  
 delicet inundatione Rhodani, qui ultra  
 solitum pluvijs & impetuosis Torrenti-  
 bus auctus amplissima loca, & Prædia  
 fabulo, & lapidibus inventis obtexit,  
 vastavitque, Pontibus dejectis, & com-  
 pluribus damnis alijs undequaque illatis:  
 deinde Veragrico bello anni 1475. quō  
 hostibus totâ Valleſiâ expulsis Veragli  
 Comitum Sabaudia liberauti sunt pote-  
 state, & dominatu, & Terra Ecclesiæ Se-  
 dunensis seu quæ antea Sedunensi pare-  
 bat Episcopo, ut ait etiam cit: Josias, Val-  
 lensium antiquo voto, & strenua ope re-  
 cuperata est, foedere ocyüs inito per epif-  
 copum, & Patriotas cum Bernatibus, atque  
 in tantæ rei gestæ juge Mnemosynon  
 consentiente Clero, & Populo honori  
 R. m. V. Deiparæ ipsam diem relatæ Vi-  
 toriæ,

storiarum, quae est 13. Novemb. Festum in choro, & foro celebrari in perpetuum voluit Waltherus sub Titulo *septem Gaudiorum* Beatæ V.M., concessis XL.dierum Sac: Indulgencij ac perpetuis eo tenore, qui sequitur.

„ Ut autem omnis fidelium multitudo ad memoriam præfatæ festivitatis septem Gaudiorum Virginis Mariæ celebrandas arctius, & devotius excitetur: Nos Waltherus Episcopus prædictus omnibus Christi-Fidelibus confessis, & contritis qui dictuni festum devotè celebraverint, ac primis Vesperis, Completorio, Matutinis, I. III. VI. Missæ, IX. secundis Vesperis, & Completorio interfuerint, de Thesauro militantis Ecclesiæ authoritate omnipotentis DEi neconon sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejusdem Virginis Mariæ ac S. Theoduli Patroni nostri confidentes toties, quoties pro Missâ, & qualibet horarum prædictarum, cui intererunt, XL. dieterū criminalium veræ Indulgenciarum perpetuè valituras de injunctis sibi Pœnitentijs misericorditer relaxamus. Ex antiq: Brev: Sedunen. festo 7. Gaud: lect: 9. cbron: lib: Castri Episcopalis Maj:

Idem Waltherus die eodem, qui alias est S. Britij Martyris, præcepit fieri recitatione Psalmorum pœnitentialium in

in Cathedrali annuam memoriam tam vivorum, quam Defunctorum, qui bello interfuerunt, ut Deus parceret illis, & horum misereretur; Insuper & institutum hoc Festum & Gaudiorum adjunxit alijs Patronis Capellæ, quam in Cathedrali Ecclesia erexerat pro cognationis suæ Sacerdotibus, & Clericis in gradu quocumque remoto: actis demum in Episcopatus administratione annis vinti quatuor obiit diem supremum 7. Julij 1482. conditis voluntatis ultimæ Tabulis in Castro Turbillionis, & in Sepulchrum sub dictâ Capellâ sibi paratum illatus est.

Ad Episcopatum viâ Postulationis successit Waithero Jodocus, seu Justus, ut alij malunt, de Sylinen an. 1481. Praepositus antea, nempe anno 1469. Ecclesie Beronensis in agro Lucernate, qui mirâ in agendis methodo id effecit, ut fuerit Ludovico *Prudenti* dicto, Galliarum Regi, apprimè charus, Hic econtra egit primùm apud Sixtum P. am IV., ut Jodocus ad Ecclesiam Gratianopolitanam promovereatur, hinc idem Summus Pontifex an. 1475. ad præfati Regis sollicitationem transfert

Lau-

Laurentium Allemandi, invitum licet, de dictâ Gratianopolitanâ ad Auracensem Ecclesiam, ut Jodocum dilectum Ludovici Consiliarium (*verba sunt Pontificis*) ad anteriorem illam proveheret, additis tamen monitu, & prece ad Regem, ut consideraret alias, quid in casu hujusmodi, pietati Regiae, conscientiae & honori conveniat, cum sit translatio de invitatis, rarique eventus &c. ita ix. *Julij 1475.* An. demum 1482. Idem P.<sup>a</sup> Sixtus IV. litteris motus non solum Regijs, sed etiam Fratris ejus, & Sedunentis Capituli translationem admittit Jodoci de Gratianopolitanâ Ecclesiâ ad Sedunensem, Ipsum ad Eam postulante dicto Capitulo. Ita *ex lits: Pontificijs ad Regem.* 6. *Aug. 1482.* Ludovicus autem Jodoci jam Sedun. episcopi operâ potissimum adjutus, Sigismundo Austrio Helvetios reconciliavit, pacto etiam foedere cum ipsis ad Caroli Burgundi imminuendam potentiam cæterum Episcopus Gallicæ factioni totus addictus, adversus Ludovicū Sforziam Insubrum Ducem Exercitum duxit ex Vallesijs & Helvetijs conscriptum an. 1487. hæc, & alia narrat Jotias cit: ego, ne digrediar à proposito, tacitus plu-

plura prætereo. Jodocus tandem ad restaurandas sacras ædes conversus, id etiam curavit, ut subsidio collectæ per varias Europæ Provincias Stipis copiose instauraretur Cathedralis Sedunensis superiori bello vastata, seu diruta, nec solum templa erexit, sed & Octodurensem & Agaunensem Arces extruxit & juxta hanc Rhodani Pontem, de quo extat *Computus* in Archivo Episcopali. Is tamen occasione turbarum, & civicorum tumultuum, Episcopatu dimisso, Patriâ cessit, sub auspicijs Caroli VIII. evectus ad Archiepiscopatum Gratianopolitanum an. 1496. quo anno Sigismundus præfatus, Tyrolis, & Alsatiæ Comes obiit: Sacellum Castris Episcopalis *Majore*, quod Waltherus inauguraraverat, Jodocus ampliavit: in Monumentis autem ab hoc Episcopo relictis apud nos extat etiamnum gladius alteri veteri pariter extanti substitutus, *Regaliae* dictus, quem Episcopi Sedunenses solemnioribus festis ad Cathedralem Basilicam procedentes sibi præferri veteri more curant in signum geminæ potestatis. lib: cbron: *Episcopatus Sedun.* Casp. Lang l. 2. c. I.  
¶. 4.

Porrò in sede Episcopali successit Jodoco de Syllinon Nicolaus Schiner de Aragno jam grandævus, pacis & quietis apprimè studiosus, Matthæo ejus nepote, qui primùm Canonicorum Sedunen. in Collegium adscitus erat, ejusdem Promotionis potiori Authore, nec defuit Nicolao sua apud sedem Romanam æstimatio , utpotè quem Alexander P. a VI. suum in spiritualibus , & temporalibus Vicarium *generalem* esse voluerat ; ætate autem confectus Nicolaus abdicavit se Episcopali munere , & ut Matthæus sibi succederet in Episcopatu, mutuis curavit officijs an. 1500, adjuvante etiam Georgio Supersaxo , magnæ apud Vallesios Potentiæ , & authoritatis viro; Nicolaus ætate confectus obiit an. 1510. honoratum sepulchrum in choro Ecclesiæ S. Theoduli naestus.

Quantus vir fuerit, factusque sit temporum successu Matthæus Schiner Nicolai Successor & Nepos, docent passim Historici , Guicciardinus , Jovius , Josias Simlerus, Caspar Lang &c. & quicumq; helvetias res scriptitando attigerunt, ut ex ijs concludat haud ægrè quilibet , Helveti

veticum Solum Matthæo non genuisse parem , cuius equidem futuræ Potentiaæ , & Authoritatis specimina is ab ineunte ætate jam dedit , cùm vix Adolescentiam egressus , sed omnium LL. artium Disciplinis jam instructus , & sublimioribus florens Christianis virtutibus , tam dicendi facultate , quām consiliorum gravitate facile quēque superaret , ubi verò stolatus , & infulatus de more in templo sacras conciones habuit , tanto concursu hominum audiebatur ( quod etiam mores exactè sobrios , castosque præseferret ) ut ampliori Sacerdotio dignus habere- rur , ijs proin naturæ , virtutis , atque in- dustriæ Dotibus eximijs locupletatus & sacrī honoribus auctus sese summis Eu- ropæ Principibus maximarum rerum gerendarum adjutorem adjunxit , præser- tim quibus erat à consilijs intimis , Henrico VIII. Regi Angliæ , Maximiliano , & Ca- rolo V. cuius coronationi Romæ inter- fuit , Imperatoribus ; Item binis summis Pontificibus Leoni X. & Julio P.æ II. qui alter Eum Ravennæ año. 1511. sub Tit.° *S. Potentianæ* eorum , qui purpurâ ve- stiuntur , Antistitum Collegio adscripsit ,

creavitque suum, & Apostolicæ sedis Legatum per totam Germaniam, Lombardiam, & ad quæcumque loca ipsum declinare contingeret: Sic virtute Duce & comite fortunâ, summæ gloriæ apicem est asscutus, nunquam felicior evasurus, quam si Francisci primi parem gratiam cum illâ Imperatoris conjungere forte potuisset. Credidero autem, Præsuli Matthæo non vulgarem nominis splendorrem apud sedem Romanam accessisse ex judiciario Processu Bernæ contra quosdam Monachos in re Jetzeri feliciter gesto, quæ, uti erat præstigiarum, Diabolice fraudis, & Technarum plena infernaliū, ita ad sui disquisitionem exactam exigere visa est summam illam prudentiam, quâ in discutiendo, & absolvendo arduo hoc negotio usus est Matthæus noster Episcopo Lausanensi Benedicto de Monte Ferrando Apostolicâ delegacione adjunctus, siquidem is etiam ea crimina, quæ judicialis Tortura non expressebat, ad confitendum Monachos mirâ eloquentiæ vi permovit affidentibus pro Tribunali Canonicis Sedunens. Joanne Grandis officiale Sedunensi, & Petro Ma-

gni

gni, adhibito Joanne de Prenserijs Notario jurato, suis quoque per Episcopum Lausanensem Canonicis Affessoribus, & Notario adhibitis. Tametsi autem nitentur S. Ordinis Prædicatorum Patroni Processum suppressare, fuit tamen & Romæ approbatus. & ex Urbe missio adhuc Comissario Apostolico confirmatus, secutâ Executione Bernæ per Traditionem eorum Monachorum curiæ sacerdotali post degradationem Canonicam tenore Pontificalis Romani an. 1509. Hinc cum ortæ essent turbæ, & intestina dissidia in Vallesio, futura Matthæo exitiosa, Eum an. 1511. Romam profectum Julius Papa benignè exceptit, Purpuratis Patribus, ut dictum superius, annumeravit, & cognitâ jam antè viri summâ virtute dignum existimavit, in cuius consilia flagrantis belli negotium potissimum conjiceret, quin & Atlantem intellexit, in cuius humeros tutò, quidquid arduum, quidquid difficultatibus implexum videatur, exonerare posset, nunquam non de fide, deque felici exitu securus. Stettler in chron: Helvet: ad annum 1509.

Inter Monimenta relicta suæ in Dicæ-

cessin voluntatis propensæ , quæ in pluribus Ecclesijs visuntur, extant adhuc in sacrario Cathedralis Basilicæ facra quædam supellectilia , & testator munificentiam ejus sumptuosus chorus Ecclesiæ S. Theoduli Sedunensis cum validâ Turre campanili , quam tamen morte præventus non absolvit. Obiit autem an. 1522. Septembris die ultimâ, in Ecclesiâ S. Mariæ de anima, quæ Germanorum est, tumulo illatus. Errant proin qui cum Simlero autumant, Matthæum nostrum in Conclavi diebus Comitialibus, in quibus Adrianus P.º VI. Pontifex creatus est, supremum diem obiisse , liquet econtra ex uniformi Episcoporum Syllabo , & libro obituum tam Castri Canonicorum Valeriæ , quam Episcopalis Majoriæ obiisse ultimâ 7bris an. 1522. Mortuus autem est Leo decimâ 7bris anni anterioris nempe 1521. & Adrianus P.º electus fuit anno sequenti 1522. post mensem unum, dies septem à morte Prædecessoris , coronatus in Vaticano ultimâ Augusti aîni ejusdem. *Foresti in Leone X. & Adriano VI.* sub quâ temporis intercapidine idem Purpuratus dedit adhuc litteras ad suos  
in

in Patria. De Matthæi Cardinalis in Romam sedem obsequijs vide Foresti *in Julio II.* Guicciardinum , & alios superius citatos, plura ne præstoleris à me , qui historiam brevem , & sacram , non prophanam neque militarem spopondi ; at si mireris, bene vole Lector , eximios eos in Matthæo nostro progressus , memineris Ipsum in tantâ naturæ facilitate Eruditionis quoque , & virtutis eminuisse amore , & cum sciret parata esse virtuti præmia , summasque Dignitates patere merentibus , pari Musarum , & negotiorum crevit studio , quo gerendis rebus maximis par factus dubium reliquit , majusne Illi tanta Dignitas , an Ille dignitati decus attulerit ? Hinc Sanderus in *Elogijs Cardinalium Decad : 3. n. 6.* Matthæū nostrum dicit virum inter exactæ virtutis Imperatores potius , quam inter Senatores numerandum , si corporis , & ingenij robur , ac rerum strenue gestarum cumulum spectes.

Cæterum inter ea, quæ præstitit Matthæus Sedunensi Ecclesiæ , illud etiam numeratur : an. 1513. obtinuit à Leone

P.<sup>a</sup> X. sub datâ VII. Kal. Julij Bullam, quæ infit: *Super universas Orbis Ecclesias &c quâ nempe Summus Pontifex civitatem & Dioecesin Sedunen. adjunxit Concordatis Germaniae ad effectum dun-taxat Concordatorum initorum inter se- dem Apostolicam, & nationem Germa-nicam, quibus hæc Dioecesis non com-prehendebatur, cùm tamen aliæ partim germanico, partim alio Idiomate uten-tes ultramontanæ comprehendenderentur in dictis Concordatis, quæ utique ratio pugnabat etiam pro Sedunensi.*

Item Matthæus primùm à Julio II. quoad se, & Familiares, quicumque erant Ei ab obsequijs, seu officijs, dein ab eodem Leone P.<sup>a</sup> X. quò ad Clerum etiam & Populum Dioecesis suæ Bullam impetra-vit perpetuae Exemptionis, & immuni-tatis Episcopatūs, & Patriæ à Taranta-sientis Archiepiscopi foro Jurisdictionis Metropolitanæ datam IX. Julij an. 1513. tanquam Episcopatūs nationis Germa-nicæ, quo ipso anno interfuit Concilio generali Lateranenti, cuius in sessione 6. inter Cardinales Presbyteros legitur his verbis: *Rdmus Dñus Matthæus Tituli S. Pe-*

*tentianæ.* Et in eadem sessione inter Deputatos pro generali reformatione curiæ , & officialium legitur : *Rdmus. Dñss Sedunensis.*

In Episcopatu subsecutus est Philippus de Platea anno 1522. quo tamen is, cùm ob corporis imbecillitatem, tum & quòd à Summo Pontifice confirmationis litteras nondum consequi potuisset, se abdicavit an. 1529. nam Adrianus P.<sup>a</sup> VI. quòd prætenderet post obitum Matthæi Cardinalis collationem Episcopatūs esse ad S. sedem devolutam, illum contulerat Paulo Æmilio *Cesi* Cardinali, impositâ 600. Ducatorum pensione annuâ in comodum Cardinalis Eporegiensis, quæ res fuit demum composita à successore Adriano Episcopo mille nempe Ducatorum solutione unâ in utriusque Cardinalis emolumentum an. 1531. 4. Julij. obiit autem Philippus an. 1538 22. Aprilis, sepultus in choro Cathedralis Ecclesiæ: celebris est ejus memoria ab inito foedere, dum Episcopatum administraret, inter Ipsum ac Patriotas ex unâ, nec non inter Allobrogum Ducem Carolum ex parte alterâ. *Ex Mss: & Morero vbo:*  
*Cesi,*

Cesi, qui citat Bzovium, & Ughellum *in Ital. sac.*

Suffectus est in sede Episcopali **A**drianus de Riedmatten año 1529. confirmatus an. abinde 3. tio à Summo Pontifice, consecratus autem Lausannæ ab ejus Urbis Episcopo Sebastiano de Monte Falcone Successore Aymonis de Falckenberg, Procerum Vallesiorum celebri comitatu illuc appulsus ; Episcopus hic, Capitulum, & LL: septem *Deseni* sanci-  
verunt fœdus cum septem Catholicis Pa-  
gis Helvetiæ anno 1533. quo inter alia  
communi jurejurando se se obstrinxere  
stabiliter, ac perpetuò in fide Catholica  
Romano-Apostolicâ perseverandi &c. ad  
hunc dedit solennes litteras seren.<sup>mus</sup> An-  
dræas Griti Venetiarum Dux pro libero  
transitu per Vallesiæ regionem Petri Mo-  
cenigo, & Christophori Capelij, quorum  
alterum ad Christianissimum Regem,  
alterum ad Cæfaream Majestatem Orato-  
res mittebat, datas 3. 7bris an. 1537. Hu-  
ius etiam Antistitis magnis sumptibus  
reparatum est Castrum sedis Episcopalis  
**Majorie** dictum, quod subito incendio  
conflagraverat ; obiit an. 1547. & in ejus  
lo-

locum successit Joannes Jordanus, qui tranquillitatem Patriæ, quam à suo Antecessore acceperat, tuitus esse perhibetur, verumtamen cùm Vallensium juventus politioris litteraturæ studio fa frequentaret plerique Lycæum Basileæ, Tiguri, aut Bernæ, ac Lausañæ, quibus in Urbibus Calvini, & aliorum Novatorum dogmata aut pullulabant, aut pa sim jam invaluerant, contigit, ut his temporibus, ac vijs in ipsam irrepserint Vallesiam eo quidem infelici progressu, ut huic demum pestiferis illis opinionibus expurgandæ multum sudârint successores Episcopi.

Cæterum Joannes Episcopus invitatus ad Concilium Tridentinum litteris Julij P.<sup>æ</sup> III. datis 22. Maij 1551. misit suo loco Joannem Militis Abbatem Cœnobij Agaunen, sed cùm venisset ad audiendum duntaxat, & referendum, ut ferunt, ad Concilij sessiones admissus non fuit, alij alias causas Exclusionis alegant.

## CAPUT II.

*Series Antistitum Sedunensium usque  
ad annum 1613.*

Ordani post obitum adlectus est ad Episcopatum Hilteprandus de Riedmatten anno 1565. de quo narrat Josias, in celeberrimâ Parisiorum Academia vixisse, & dein maturâ ætate eos honores consecutum esse, quos alij vix in ipso senio prehendunt: anno citato Abbas Agauner. Joannes Miles Mediolani constitutus, missusque Procurator Electi Hilteprandi ad Carolum Cardinalem Borroméum, Archiepiscopū loci, qui deinceps numero relatus est, examinatur cum Testibus super natalibus, vita & Moribus dicti Electi, porrigente Electionis Instrumentum dicto Procuratore, & accedentibus officijs Rdmī Dñi Marci Antonij Cardinalis Bobba Episcopi Augustensis &c. ita actum 5. Nov. ad Comitia Imperialia ablegavit Adrianum à Riedmatten, qui demum ei successit in Episcopatu, multum laudis ex iisdem comitijs adeptus ab Romani Imperij Principibus,

pibus, & ipso Augustissimo Imperatore Rudolpho II. Etsi verò Edicto solemni sanxisset, ne Parentes liberos suos instituendos ad ea mitterent Lycæa, in quibus Lutheri, & Calvini pullulabant dogmata, invaluit tamen Hiltprando Episcopô eò usque hæresis in Vallesia, ut plurium annorum assidui labores ad eam extirpandam vix suffecerint, præsertim, quod ex primoribus Patriæ complures pestiferâ labè erant vel infecti, vel in Catholicæ Ecclesiæ regulis, & Praeceptiōnibus vacillantes, cum & de Populo plerique viderentur parati quamcumque Religionis normam, quæ sibi proponeatur, assumere, jamque dies esset indita Comitijs publicis, ut inter Religionem Romano-Apostolicam, & inter Calvinii dogmata optio fieret credendi Regulæ, ac Religionis normæ, quâ demum electâ starent omnes Vallesij.

Clemens VIII. qui perspectum habebat, Vallesiam geminum præbere aditum ad oras Italicas, veritus, ne non tantum Vallesij ab Ecclesiæ Catholicæ corpore se secernerent, sed & ne vicinæ Italiae Regiones eâdem pravitate polluerentur, com-

commisit illicò Taurini Nuntio suo A-  
postolico, ageret nempe ut Religiosi virti  
firmandæ apud Vallesios Religionis stu-  
diosi mitterentur ad eos, & protinus sunt  
missi virti monastici Ordinis S. Francisci  
*Capucinorum Provinciæ Sabaudiæ*, qui  
primùm ex pago S. Gingulphi ad vicinas  
Vallenſium Parochias Excursionibus fa-  
ctis sacras Expeditiones exorsi, miro, &  
mansueto agendi modo ita melioribus  
animis accepti facti sunt, ut tandem Mon-  
theolum, inde Agaunum admissi, prædi-  
cato ubique verbo Divino præclaros in  
promovendâ re Catholicâ fructus fece-  
rint, ringentibus, & obſtrepentibus illius  
temporis Heterodoxis. Sed & hoc tempo-  
re catholicæ Helvetiæ Pagi nuntio accepto  
periculi futuræ Vallenſium integræ de-  
fectionis à Christi Sacris, memores foede-  
ris inter eos, & Vallesios pacti an. 1533.  
quô cavetur, ut se se mutuâ fide, & ope-  
râ strenuè juvent in tuerendâ Religione Ro-  
mano-Apostolicâ, mittunt huc Legatos,  
qui negotium propagandæ apud nos fi-  
dei Catholicæ pro viribus susciperent,  
ac promoverent. Ij Sedunum appulsi in  
*Ecclesia Canonicorum Caſtri Valeriæ*

Prem Sebastianum ex dicto Ordine Concionatorem audierunt magno applau dentis animi sensu , inde & cæteris rebus singulari prudentia in orthodoxæ Religionis incrementum adornatis , non tantum in utróque Montheoli , & Agauni Gubernio , favente præsertim Gubernatore Zuber , necnon Octoduri , & per vicina passim loca , ac Parochias cœpit orthodoxa fides firmari , & usus divinorum Sacramentorum instaurari , sed & Seduni , ubi funestior occurrebat rerum facies , habente ad suos Concionem de nocte Præcone Calvini , & factionem heterodoxorum impiè protegente illius temporis Ballivo , nullumque non movente lapidem , quo Missionem sacram impeditret Catholicorum , quin & in eam spem suorum progressum erecto , ut scriptum suâ manu reliquisse dicatur : *Hilteprandus de Riedmatten ultimus Sedunensis Episcopus.* Quo utique denotabat omnimodam , quam meditabatur , catholicæ Fidei extinctionem in Valleſiâ , sed & Seduni , inquam , singulari Numinis miseratione prævalente meliori parte Senatus res melius haberî cœpit , nam *E pisco-*

piscopus Ballivi pestifera Molimina edoc-  
tus, eundem ad se vocatum, & in genua  
provolutum, culpámque suam, quoad  
poterat, diluere conantem acri objurga-  
tione corripuit, dein curâ & sollicitudi-  
ne Nuntij Apostolici Joannis Turriani  
advenere in Vallesiam Provinciæ quoque  
Helveticæ PP.<sup>ss</sup> Capucini, qui apud Val-  
lesios superiores, favente imprimis illius  
temporis Vice-Ballivo, egregios pro re  
Catholicâ fructus fecisse dicuntur; inte-  
rim Seduni P. Cherubinus ex Sabaudiâ  
anno 1603, in pervigilio solemnis diei,  
quo Christi in cœlos ascendentis memo-  
ria agitur, egregiam ad Parochos in Ca-  
thedrali Basilicâ congregatos, & ad con-  
fertum Populum Concionem habuit,  
tumultum moventibus contrâ Calvîoi  
asseclis: Stabat proin ingens hinc nume-  
rus Vallensium in orthodoxâ Fide fir-  
matus, proque eâ occumbere paratus,  
illinc complures econtra Calvini doctri-  
nam mordicus sustinere nitentes, idcirco  
pro bono Pacis, proque publicæ rei  
quiete consultius visum est multis plu-  
rium vocum numero, seu collectis om-  
nium, & singulorum suffragijs rem defi-  
nire

nire videlicet: num in posterum Religionem Romano-Apostolicam profiterentur universi, an verò Calvini Dogmatis, & præceptionibus adhærerent? anno igitur 1603. Vallesijs in aperto campo magno numero congregatis prævaluit numerolis suffragijs Pars Catholicorum, & non obstantibus Tiguri, Bernæ, Basileæ, Schaffusiæ oratorum consilijs, dein & ipsorum, ac 3.<sup>um</sup> Ligarum Rhætiæ legatorum Bernæ congregatorum suasorijs litteris sub dato 18. Aug. anni ejusdem, quibus, ut liberum etiam Calvini doctrinæ Exercitium in Vallesio admitteretur, apprimè commendabant, decretum est, ut staretur PP.<sup>um</sup> nostrorū traditâ Religione quod subinde suscepimus consilium, & Institutum confirmârunt Comitijs extra ordinarijs Vespiae habitis anno sequenti 1604. 17. Martij, lato quoque Edicto, quo heterodoxi excludebantur omni officio publico in Patriâ, exauctorato insuper ipso Ballivo, & Reipublicæ Secretario pariter munijs publicis expuncto, cui in officio successit Sebastianus Zuber antè Gubernator Montheoli, editis plu-

pluribus articulis in defensionem salvificæ Religionis apud Vallesios , moventibus equidem turbas heterodoxis , quas demum magnæ prudentiæ vir Ballivus in Albon successor composuit.

*Ex cbron : lib : RR. PP. Capuc : Provinc : Sab : Item ex Mss. & Chartopbyl : Castris Episcopalis Maj. Item ex Receff : Comitiorum &c.*

Hoc firmandæ in Vallesia Catholicæ Religionis negotium curæ quoque fuit Carolo Emanueli cognomento *Magnus* Duci *Allobrogum* , missō ad id Legato viro eximio , nobili de chevrone à Villette , nec mirum , cùm & hujus Principis summa sollicitudo extiterit , ut totum Chablaſij Ducatum hæreticâ labe purgatum ad Catholicæ Fidei salvifica Dogma ta reduceret , teste divo Francisco Saleſio in Epistolâ scriptâ Clementi P.æ VIII . xv. Novemb. 1603. cuius & illustrium intuendâ varijs locis orthodoxâ fide meritorum Elogium expressit P.æ Urbanus VIII. datis ad eundem litteris 7. Jan. 1623. hujus tenoris : „ Nemo , qui à Te legatur , „ nos adibit , quin ex sermone nostro statim cog- „ noscat , quanti non solum in Italia , sed in to-

„ à Christianâ Republicâ faciendam esse pute-  
 „ mus Potentiam Sabauidis Domus, quam virtutū  
 „ tuarum magnitudo , & triumphorum gloria  
 „ hæreticis exitiosam, & Catholicae Religioni red-  
 „ dere potest salutarem.

Censeo proinde potentissimum hunc Principem tam Religionis orthodoxæ tuendæ amore, quām peculiari in Vallesios affectu , seu animi grati impulsu id officij præstisffe , ut potè cui Sedunensis Episcopus Jodocus de Syllinen , ac Patriotæ Vallesij strenuam operam locarant in negotio recuperandæ Salluciarum Urbis , & Provinciæ , quā super operā præstidam animi rem gratam testificantis mnemosynon , Diploma aliquod edidisse dicitur.

Hæc res sanè vacillantis apud Vallesios Religionis , tanti momenti visa est Mediolanensi Archiepiscopo Federico Cardinali Borromeo D. Caroli Nepoti , ut non dubitarit ipsius Regis Catholici efflagitare opem ad sustinenda Catholica Sacra in Vallesio , qui rem sollicitudine Regiā dignam arbitratus , illico commisit suo Mediolani Gubernatori Comiti de Fuentes , ut nunciaret Patriotis , sc̄ etiam armis suis tuiturum causam , & Fi-

dem Catholicorum in Vallesia : Pagi itē Catholicæ Helvetiæ missis Oratoribus declarabant, se nil omissuros, quō Catholicorum Communionem defenderent apud Vallefios. Itaque his & Oratoribus, & Legatis præsentibus ultima quasi manus admota est promovendo operi Religionis orthodoxæ, imminutâ tamen Pacis amore Pœnâ Vespiensi in conventu statutâ adversus Eos, qui Fidei Romano-Apostolicæ sacra Mysteria profiteri renuerent : Rebus itaque sic compositis, pacéque initâ mittunt Vallefij Legatum ad Urbem nob : Antonium Quartery, qui nunciaret Summo Pontifici, & testaretur Eorum adhæsionem S.<sup>æ</sup> sedi Apostolicæ, & Fidei Catholicæ, & hanc ille suscepitam provinciam eâ ingenuitate præstítit, ut B.<sup>mi</sup> Patris desiderio undequaque factum satis videretur. Secuta est receptio PP. Capucinorum, erectoro mox Sedunensi Cœnobio, & ad id tribuente spatiu Cathedralis Ecclesiæ Capitulo, ex quo pergunt hodieum Religiosi in varias Parochias excurrere, sacris Expeditionibus vacaturi verbi Divini Prædicatione, Fidei Mysteriorum,

&amp;

\* (o) \*

& Christianæ Disciplinae Institutione, qui  
 & Cathedram Sedunensem in Ecclesia S.  
 Theoduli salubriter explet in lingua  
 gallicâ. Idem Hilteprandus Episcopus,  
 & Oratores septem Decenrarum Vallesij,  
 Meyneriô Cœnobij Agaunen. Præpositô,  
 donant Seren.<sup>mo</sup> Allobrogum Duci Ca-  
 rolo, Legatis ejusdem recipientibus, par-  
 tem dimidiām sac: Reliquiarum corpo-  
 ris S. Mauritij Archiducis Thebæi, acci-  
 pientes invicem ab eodem Seren.<sup>mo</sup>  
 Duce quosdam proventus vallis Illiacæ  
 à Ripalliâ pendentis, erectâ ad id scrip-  
 turâ an. 1590. 16. Xbris. cbron: lib: Cœnob:  
*Agaun: & Castri Majoriæ.* Ad Hiltepran-  
 dum Episcopum divertere jussit P.<sup>a</sup> Cle-  
 mens VIII, Em.<sup>mum</sup> Ludovicum Cardi-  
 nalem Madrutiūm, ut Pontificio nomi-  
 ne ageret cum illo, cùm ad Imperato-  
 rem Rudolphum, & Conventum Impe-  
 rij Ratisbonam mitteretur Legatus à La-  
 tere, eò quòd interesset Reipublicæ Chri-  
 stianæ, & singulatim Germaniæ, belum  
 decerni contra Turcas. Ita litt. Apoſto-  
 licis ad Hiltep: datis 19. Martij 1594.  
 Pontificatus anno 3. tio.

Hilteprandum subiecitus est ejus ne-

pos Adrianus à Riedmatten Capituli Se-  
dunen. Decanus, & ipse Abbas S. Mauri-  
tij Agaunen. an. 1604. quem zelus Reli-  
gionis Catholicæ promovendæ plurimūm  
commendabat vivente adhuc Patruo se-  
nili ætate confecto, & ideo minus jam  
cordato ad resistendum hæreticæ pravi-  
tatis Defensoribus in Patriâ, quare & in-  
gens beneficium Dei est, sic esse firma-  
tam Fidem Romano-Apostolicam in Val-  
letiâ, ut Calvini dogmata abinceps pa-  
lām profiteri auderet nemo, tametsi oc-  
culti remanserint nonnulli, qui demum  
Successoribus Episcopis Jodoco, & A-  
driano IV. nonnihil negotij faceſſiverunt,  
donec utriusque Antifititis ſedulâ operâ  
purgata est Diocesis reliquâ labe.

Hic insuper Episcopus præter fal-  
berrima, quæ edidit statuta ad catholicæ  
rei defensionem perpetuam, egregio Re-  
ligionis zelo impulsus egit an. 1605. ne  
Heterodoxi, omni licet munere publico  
jam exauthorati, diutiùs in Patriâ tole-  
rarentur, obnitente tamen, & dictarum  
Urbium, necnon Gallici Oratoris pro-  
tectionem implorante cum alijs Jacobo  
Gunthero antè Archigrammatéo:

anno

anno sequenti 18. Julij Adrianus in visitationis actu Parochialis Ecclesiæ de Lens constitutus accepit à Paulo P.<sup>a</sup> V. litteras amoris plenas , & solatij , missas per suum ad Catholicos Helvetios Nuntium Apostolicum Fabritium Episcopum S. Severi datas 7. Id: Junij 1606. cuius zelum & mirificè commendavit Idem Summus Pontifex litteris posterioribus nempe anni 1607. 4. kal. Jun., eō quod ipsius Episcopi operâ apud Vallesianos superiores inducta esset Gregoriana correctio Calendarij, & reformatio Breviarij, seu conformitas in psallendis Deo laudibus cum Ecclesia Romanâ omnium Matre , Festorumque dierum celebrandis solemnitatibus. Induxit in Vallesiam PP.<sup>es</sup> S. Francisci Capucinorum Agaunensis Conventūs, quibus tribuit Ecclesiam S. Laurentij an. 1611. & PP.<sup>es</sup> Soc. JEsu , qui instante clemente P.<sup>a</sup> VIII. an. 1607. introducti , & admissi , cùm annos eomplures transegissent in Deseno Sirrensi , & Gomesiano , demum & in Leucensi , sanctæ Religionis Exercitijs , & erudiendæ Juventuti solerter intenti , tandem an. 1662. se se Brigam contulere ubi Adriano IV. Episcopō,

copō, Capitulo &c. & sex Desenis fundantibus Collegium, recepti sunt, & stabiliti Nob: D Stockhalper Benefactore singulari, & eximio, articuli autem Receptionis præfixi comitijs Maij an. 1686. Episcopo tamen, Capitulo, & Clero stanibus conventione anni 1662. quō Brigam advenerant. Hujus denique almi Collegij pro re Catholicā pròque animarum lucro salutiferi fructus sunt ampliores, quam ut verbis assequi valeam, sed & neminem ex Vallesia præsertim superiore, in quam pœnè omnem distunduntur, latere posse existimo: Obiit Adrianus an. 1613.

### CAPUT III.

*Series, & Aetas Episcoporum reliquorum usque ab labentem annum 1744.*

**H**ilteprandus Jodocus, vulgo *Jost*, ex Curione Leutroni creatus Canonicus Sedunensis, dein an: 1613. 15. Oct. Spiritū S. instinctu, ut ait ejus confirmationis *Bulla*, Episcopus electus, vir zelo Religionis, & Ecclesiæ tuendorum jurium præ cæteris distinctus, in illo amplissimæ

Dig-

Dignitatis gradu , & Pontificij muneris speculâ collocatus ita omnium pastora- lium functionum laude enituit , ut non alium Dominici gregis observatorem , custodémque vigilantiorem habuerit Se- dunen . Diœcesis , námque collapsam Pie- tatem , & Cleri Disciplinam , morésque instaurare adorsus , Divinorum Sacra- mentorum usum , cathecheticæ Doctrinæ traditionem , & Christianæ Discipli- nae Exercitia cætera studio promovit in- defesso , plurima idcirco incommoda ex- pertus à Malevolis , nec bene Catholicis quibusdam Proceribus Patriæ , sed & ad- versorum forti tolerantia Eximum se præsttit , nam , ut in orthodoxâ Religione propagandâ , tuendâque totus erat , mox Eorum in se concitavit invidiam , & odia , qui Calvini adulterina dogmata non- dum animo abjecerant : Difficile est vel cogitatione assequi , quot Pientissimus Praeful devoraverit ærumnas pro tuen- dâ Religione , & Ecclesiæ Sedunen . Ju- ribus defendendis , sed & tot curarum , & insignium pro Fide orthodoxa labo- rem eum tulit fructum , quem is demum litteris ad Summum Pontificem datis præ- cipue

cipue de restituto per Vallesiam inferiorem Sacramentorum usu , pio solamine plenus expressit: ex MSS. & Litt: Origin: Regis Gall. Duc: Sab : Pag: Helvet: Cath : per Legatos, Nunc: Apostolicum : de Miron: Caron de Butilliere. Anno 1618. habita est seduni solemnis Instauratio fœderis inter DD. Bernates & Episcopum , Capitulum ac 7. Desenos Vallesij , quâ occasione & Ipse Episcopus non attentis eorum temporum calamitatibus singulariter jucundari , & ipsi DD. Bernatum Oratores tam Episcopi , quam aliorum fœderis consortum humanitatis officijs apprimè delectari visi sunt. Stettler in ebren: Helvet: ad annum 1618. sed & eodem Hilteprando Episcopo instauratum est fœdus inter 7. pagos Cath: Helvetiæ & præfatos Episcopum , Capitulum , ac Desenos Friburgi Helvetiorum an. 1623.

Cæterum quæ pervigil Antistes suscepit pro Cleri Disciplinâ , pròque crediti sibi Gregis salute , ut sunt innumera, & fidem superant, ita ijs recensendis non inhæreo , quin etiam, ut verum non diffi- teat, tantum non profecit, quantum la- boravit, sudavit, & alsit , plurimum eâ tem-

temporum coniunctione , & calamitate  
cadentibus in irritum ejus conatibus :  
Clericorū Seminario erigendo totā men-  
te , & voluntate incubuit , tametsi quod  
instituere occuperat , explere non va-  
luit. Persalubres econtra in Diœcesanâ  
Synodo Constitutones edidit , quibus  
Clerī , Populique Vallenſium ſaluti , ac  
Disciplinæ mirum in modum consulitur.  
Uſum invexit Calendarij Gregoriani te-  
ſtibus ejus rei litteris encyclicis datis ad  
Vicarios forenses 8. Jan. 1627. fuit au-  
tem Hilteprandus noster in Episcopum  
inunctus à S. Francisco Salesio tunc Ge-  
bennensi Episcopo , cujus ad eundem  
plures extant litteræ in Archivo Episco-  
pali , nullæ non verborum ſacrâ aliquâ  
unctione delibutæ , quarum una donata  
est Seren.<sup>mæ</sup> Reginæ Angliæ Clementinæ  
paucis annis ante ejus obitum : Illud  
memoratu dignum occurrit , S. Saleſium ,  
cùm Seduno digressus eſſet , de Hilte-  
prando recēns inaugurate enunciāſſe , ab  
hoc Episcopo aut boni multum , aut multum  
mali in Diœcesin derivaturum , ſeu proma-  
naturum eſſe : Præſagio respondit veri-  
tas , namque boni plurimum hujus Præ-  
fulis

sulis indefesso studio profluxisse in Patriam, probat asserta ijs difficillimis temporibus apud Vallenses Religio Catholica: neque est silentio involvendum, pro maximi momenti negotijs Romam petiisse Hilteprandum, è quâ redux dicitur in ijs tractatum Sedunensi Ecclesiæ omnino perniciosum sub datâ anni 34.<sup>ti</sup> supra millesimum sexcentesimum Idib. Jan. quo confirmatur anni 1630. 15. Octob. conventio inita Episcopi, & Capituli Sigillis, non tamen loci mentione munita; at non capio satis, qui Hilteprandus in Cœnobio S. Bernardi Montis Jovis à mense Julio usque ad Nov. anni ejusdem, cùm citerius in Patriam ei redire non licet, detentus, loci adeoque, & rerum angustijs pressus, liberè pacisci potuisse intelligatur: quin & nondum inter Eos conventum, seu Pactum fuisse liquet ex Hilteprandi litteris authographis datis ibidem loci sub 21. Oct. anni ejusdem, petentis à 7. Desenis, ut ad conveniendum cum illis sibi liceret aut Sembrancherium, aut Octodurum progredi, sed his, cùm non sint omnino hujus loci, nullatenus inhæreo, præsertim quòd ijs

CON-

consultum est an. 1640. cùm confirmans  
dus esset in Episcopatu Adrianus III.  
Tandem fractus laboribus, & ærnis  
confectus obiit vigilantissimus Antistes  
anno 1638. quô in Episcopatûs munere  
secutus est Bartholomæus Supersaxo 6.  
Junij, at hic retardatis biennio integro  
confirmationis litteris inaugurarî non  
potuit, mortuus anno 1640. 16. Julij.

Succedunt tres Adriani, nominis hu-  
jus 3. <sup>tius</sup>, 4. <sup>tus</sup>, & 5. <sup>tus</sup>, singuli è familia  
de Riedmatten. 3. <sup>tius</sup> è Cantore Sedunensi  
delectus est ad Episcopatum anno 1640.  
30. Aug. iunctus verò in Ecclesia Ca-  
thedraii ab Episcopo Laufanen. Joanne  
de Watteville binis Abbatibus Clemente  
de Monte Monasterij altæ Ripæ, & Petro  
Odèt Cœnobij Agaunen. assistentibus an.  
1642. mense Xbri:

Hoc Episcopo singulariter procuran-  
te in generali Comitiorum confessu añi  
1643. 10. Maij receptæ sunt Moniales S.  
Bernardi Ordinis Cistertiensis in Guber-  
nio Montheoli cum facultate ibidem  
Monasterium erigendi varias tamen antè  
viciſſitudines, & à varijs obſistentiam ex-  
pertæ, cùm jam hinc, jam illinc exēſſe  
jus-

jussæ , jam toleratæ , modò Agauni , mo-  
dò Montheoli retinentibus amicis sub-  
fisterent , donec tandem dictorum Comi-  
tiorum decreto receptæ , missæ sunt men-  
se Junio anni præcitati in Possessionem  
Caſtri de Arbignone parocciae Columbe-  
rij , ubi conſtruēto mox Cœnobio pari  
Piæ vitæ Exemplo , & regularis Discipli-  
næ obſervantiâ prælucent , fed & Filias ,  
quæ ex varijs Patriæ locis Earum Institu-  
tioni traduntur , ita omni Christianarum  
virtutum genere excolunt , ut fit pleris-  
que optandum , in eo pietatis Domici-  
lio educari posse . Obijt autem Adrianus  
III. an. 1646. 19. 7bris. quo anno ad  
**Episcopatum designatus est Adrianus IV.**  
1. Octob. hic post confirmationem Ro-  
mæ expeditam Conſecrationis munus ac-  
cepit in Cathedrali Sedunensi ab III. <sup>mo</sup>  
Dño Octavio Aſinario Episcopo Regien-  
ſi ijsdem Abbatibus præfatis affiſtentibus  
die 22. 7bris 1650. sub hoc Antistite recep-  
ta est Brigenſiū VV. Ursulinarum Societas  
an. 1663. 9. Junij, quæ extructo añis supe-  
rioribus Cœnobio & Ecclesiâ puellarum  
Institutioni utiliter deferviunt. ē vivis  
deceſſit **Adrianus IV. an. 1672. 13. Aug.**  
Cui

Cui in Episcopatu Suffectus est Adria-nus V. 25. Aug. anni præfati, consecra-tus demum ab Illmo Dño Lausanensi E-piscopo Strambino assistentibus utrius-que præmemorati Monasterij DD. Abba-tibus.

An. 1681. insolito ostento porten-tofi sideris, seu terrifici Cometæ toti Eu-rope apparentis comotus Adr: V. propi-tiationi Divinæ Nemesis impetrandæ in-dixit supplicationes publicas cum tridua-no jejunio, Eleemosynis, aliisque pietatis operibus datis ad Curiones per Dioc-cesin litteris Encyclicis die 7. Jan.

Episcopi hujus tempore defunctus est non absque sanctitatis odore D. Matthias Will Canonicus Sedun. Decanus Ecclesiæ S. Catharinæ V. & M. Castræ Valerii Cano-nicorum Sedunensium, mirâ in Dæmo-nes potestate, & Prophetiæ etiam dono illustris, cuius virtus præsertim in libe-randis maligno spiritu corporibus ob-sessis, dein & in curandis varijs variâ In-firmitate detentis ita ob insperatæ cura-tionis modum enituit, ut è diversis Hel-vetiæ, Burgundiæ, & Sabaudiæ finibus passim Energumeni, & varijs Languori-bus afflicti ad ipsum confluenter. Etiam,

num post obitum prodigijs clarus in solatium confugientium patim ad ejus tumulum. Jacet sepultus in Sacello S. Catharinæ præfatae Ecclesiæ : Adrianus autem V. obiit anno 1701. 20. Maij.

Post quem designatus est ad Episcopatum Franciscus Josephus e nobili pro-sapiâ de Supersaxo , ex Sedunorum Parrocho , & Decano Valeriæ delectus Episcopus año prædicto. 2. Junij , inunctus verò ab Illmo Rhodienti Archi-Episcopo Julio Piazza tunc Nuntio Apostolico ad Helvetios in Cathedrali Sedunensi 1. Oct. anni prædicti , aſſtentibus geminis Episcopis Gebennenti , & Augustensi 2. Junij anni ſequentis 1702. Is in pueritiâ jam Canonicorum Collegio adſcriptus , jam & tunc communi Cleri , ac Populi augurio ad Sedunensem Infulam deſtinabatur , nec abiuſit ab augurio even-tus , ſuccedidit enim , ut præmemoravi , Adriano V. de Riedmatten Vt. cuius Legationis officium multa cum laude antè ex-pleverat Uraniae Helvetiorum , cùm fo-lemni ritu fieret Catholicæ foederis reno-vatio Altorffij Uriorum anno 1696. cùm autem annis omnino triginta tribus Epis-copa-

copatui præfuisset, & pro inducendâ Sedunum Societate JEsu animo multùm benefico quædam ordinâsset postremis Tabulis, tandem meritis, & ætate gravis obiit die 1. mensis Maij an. 1734. in tumulum suorum è Familiâ Præsulum Antecessorum ante Altare Sacelli S. Barbaræ in Cathedrali Basilica illatus.

Quo ipso anno Successor in Episcopatu adscitus est Joannes Josephus Blatter de Vespia die 18. Maij: *Hic Philosophiæ, & Theologiæ studiorum cursu summâ laude emenso Viennæ Austriæ, Canonicus factus Munera etiam Sedunensis Parochi indefesso zelo, & verbi Divini prædicatione assiduâ annis sexdecim exercuit.* Pro Sedunensi Capitulo Legationis officium explevit in actu solemnî Innovationis fœderis cum Pagis Catholicæ Helvetiæ an. 1728. Episcopus autem renunciatus, ipso Illius Parente tunc Patriæ Ballivo, ab Ill.<sup>mo</sup> Lausanensi Episcopo Dño Claudio Duding Bulli apud Friburgenses in Ecclesia PP.<sup>um</sup> S. Francisci Capucinorum die festo Præsentationis B. V. M., quæ inciderat in Dominicam, inunctus est assistentibus binis

Ab-

Abbatibus Henrico Fivaz altæ Ripæ & Ludovico Charleti Coenobij Agaunensis. In eo autem amplissimæ Dignitatis fastigio collocatus, etiamnum habendo sermones ad populum præsertim quadragesimales, Doctoris Ecclesiastici partes implet assiduè, totus insuper in sacras ædes pretiosâ supellestili decorandas, atque ad erigendum Gerundæ apud Sirranos tot Pontificijs votis optatum Seminarium Clericorum profusus, quâ in re faxit Deus, ut accinere aliquando liceat, quod Prudentius in Peristephan : *Artibus sacris locuples Gerunda.* &c At verò, quoniam monet S. Maximus, ne laudes hominem in vitâ suâ, transeo ad piissima vota, quibus Ill.<sup>mo</sup> Antistiti nostro longævos, & incolumes annos auguror à Numine.

Anno eodem 1734. Magnifici Senatus, Civiūmque Seduneosium communi suffragio adsciti sunt Sedunum PP.es Soctis Jesu, qui educandæ Juventuti studiosæ, nec solum litterarum humaniorum Disciplinis excolendæ, sed & Christianarum Præceptionum Elementis imbuedendæ perutilem impendunt operam, dum & assiduò sedentes pro Tribunalí sacro, aliorum

sum quoque Fidelium copiosè affluentium saluti consulunt, & quā concionibus ad Sedunensem Populum in Cathedrali Basilica, quā & salutiferis per vicinas paroecias Instruktionibus supremi Numinis gloriam solerter promovent.

O. a. M. D. & B. V. M. H. & G.

ANACEPHALÆOSIS METRICA  
IN VALLESIAM CHRISTIANAM  
*SEU*

Dioecesis Sedunensis historiam sacram.

**L**aus sit honora DEo, sit bonos & gloria Cœlo,  
Cujus ab auspicijs bīc stetit alma Fides.  
Nox erat, & captam cæcā caligine Gentem  
Vallensūm tenuit turba prepbana DEūm.  
Prō scelus! beu vesana Fides, & inanibus Ora  
ficta Dijs, Vallis, monsque, jugumq; Jovis.  
Hæc pride Impietas Vallinsam presscrat omnem,  
& scelerum passim tristis imago fuit.  
Lumen at effulgit cœlo, post nubila qualis  
exsurgit medijs Phœbus amoenus aquis.  
Sic miserente Polo. solio demissus ab alto  
Christus adest, omnis fons, & origo boni.

O

Nox

*Nox fugit, & deducta malum, pulsisq; tenebris  
collucent pleno pectora nostra die.*

*Nam dubias flectis mentes, ducisque volentes  
nata D<sup>E</sup>o soboles, victima facta neci.*

*Semina Christiadūm tua sunt exempla dolorum,  
queis humana recens est reparata salus.*

*Seu feriat gladius, rapidus seu devoret ignis,  
illis pœna necis quælibet apta venit.*

*Quin & pœnarum genus inferat omne Tyrannus,*

*&, quidquid diri parturit orcus, agat.*

*In tormenta abeunt læti, rapiuntur amantes,  
Inque neces currunt, victima digna D<sup>E</sup>o.*

*Victima Tbebææ Legionis clade probata,  
cum ferit insontes ira cruenta Ducis.*

*Hinc nece decrescit, crescit numerosior illinc  
Christiadūm populus fœnore dite nimis.*

*Aurea nunc ætas, placido concordia vultu,  
ac ope Christe tuâ, paxq; salusque redit.*

*Simplicitas, & cana Fides mox jungere dextras  
visæ, Christicolis omnia pace vigent.*

*Non animi tamen illa diu vis ardua stabit,  
Nam Fidei vultus protinus alter erit.*

*Inque malis positus Vallensūm mox erit Orbis,  
hoc facit ira fremens, hoc inimicus homo.*

*Scilicet infernæ furit atrox Janitor Aule,  
quando cor hoc unum nos, animisq; ligat.*

*Ar-*

*Arrius totas constuprat dogmate Terras,  
cæsutit & medio Patria nostra die.*

*Mille doli volitant, fallacis spicula lingue,  
nostra quibus tacito vulnere corda ferit.  
Sic tristes necit Populo Discordia nodos,  
nec Lex una fuit, nec fuit una Fides.*

*Ergo Burgundas Rex qui dominatur in Oras,  
convocat inde viros, Præfuleumque decus.*

*Inque tuis Epauna plagis, quos Insula cingit,  
Concilium statuunt, & sua sensa ferunt.*

*Pars melior jam Christiadum Divina tuetur  
Eloquia, amplexans, que Protomysta docet.*

*Jamque alij contrâ varijs erroribus barent,  
Seilicet Arrij quos schola prava dedit.*

*Divinam quisquis sobolem jam mysta tuetur,  
exulat, & quorum vertice mytra nitet.*

*Vicit dein Christus, mox & bona causa  
triumphat,*

*jamque suum Pastor tutus ovile subit.*

*Concidit Arrius, juvat omnes vivere juncos  
uno Christicolas federe, Lege, jugo.*

*Numine propitio vigilum sic cura, labórumque  
Pontificum tandem depulit omne malum.*

*Desist ira Ducum, coëunt in federa Reges,  
Templa st. uunt, ditant lipsana, sacra colunt.*

*Quin & Vallensum spatiantur in arva quirites,  
quorum condecorat sacra Tyara caput.*

*Christicolum genus omne subit, subsistit Agauni,  
Et sacra Thebae Militis offa colit.*

*Diu stetit alma quies, sunt aurea visa redire  
Jacula, ceu nullis interitura modis.*

*Perfidus interea mundi regnator opaci  
Invidit niveo saeclo notanda die.*

*Protinus accitus, quibus est discordia menti,  
Tetraque bella viris, intulit omne malum.*

*Non illi in Patrie vertebant viscera ferrum,  
In sacra sed frendens bic furor omnis erat.*

*Sunt aliae Leges, nova genti dogmata promunt,  
Sunt alij sensus, quos neque Roma probat.*

*Bella carent, acberonta movent, ut regula Plebi  
A nostris vigeat longè aliena Sacris.*

*Calvini pars dogma probat, pars altera damnat,  
Ante mori pro Aris, proque parata focis.*

*Itur in ambiguum, Gens non ignara pericli  
Flebitur in preceps, labitur inque malum.*

*Pristina Sacra abolet, jam nec veneratur JE-  
sum,*

*qui sub triticeo conditus orbe latet.*

*Ergo Francisci accitur pia turba nepotum,  
Quæ mox divinos detonat ore sanos.*

*Et tua Posteritas Ignati doctrinæ subintrat,  
Cujus ab igne sacro pectora nostra calent.*

*In se se redeunt multi, meliora sequuntur  
dogmata, divine dona superna manus.*

*Exu-*

*Exulat Edictio, quisquis non sacra tuetur,  
quæ probat Urbs, fidi Roma Magistra Gregis.  
Hinc jam sole novo Vallensium promicat æther,  
pura repurgato dum nitet Orbe Fides.  
Sed uni labor hoc, opus hoc Antistitis olim  
cura vigil potuit, Numinis atque favor.  
ô Pietas! quam blanda manus est gratia Divum!  
qua referam placido munera digna Polo?  
Ergo state viri, Patrum documenta tenete,  
Hac pro state Fide, pro Grege, proq. DEo.  
Ritus declinate novos, nova ceu sacra, quos-  
quos  
improbat Urbs, Orbis provida Roma caput.  
Id faxint Superi! id prætent, Te supplice, qui de  
Numinis obsequio nomen, & omnia babes.*

---

## SYLLABUS

### Vallenfium Episcoporum

tam Octodurensium, quam Sedunensium.

Anno	pag.
------	------

S. Theodorus I.	381. - - 45
S. Helias	390. - - 50.
S. Florentinus M.	411. - - 60.
S. Theodorus II.	513. - - 65.
Constantius	517. - - 113
Rufus	549. - - 72.
Agricola	568. - - 73.

He.

	<i>An.</i>	<i>pag.</i>
<b>Heliodorus</b>	584. --	75.
<b>Honorius</b>	593. --	77.
<b>Leudemundus</b>	620. --	78.
<b>Protafius</b>	654. --	85.
<b>S. Amatus</b>	716. -	86.
<b>Ulcarius,</b>	764. --	92.
<b>Aluborgus</b>	768. --	93.
<b>S. Altheus</b>	790. --	93.
<b>S. Theodulus</b>	802. --	95.
<b>Adalongus</b>	817. --	128.
<b>S. Garinus</b>	901. --	130.
<b>Manfredus</b>	921. --	134.
<b>Annon</b>	928. --	134.
<b>Willencus</b>	930. --	134.
<b>Amedeus</b>	936. --	134.
<b>Aymo</b>	940. --	134.
<b>Wilphinus</b>	942. --	134.
<b>Hugo</b>	958. --	—
<b>Eberhardus</b>	959. -	134.
<b>Guilliengus</b>	990. --	136.
<b>Wulielmus</b>	996. --	136.
<b>Hugo</b>	999. --	136.
<b>Wulielmus</b>	1046. -	137.
<b>Aymo II.</b>	1049. --	137.
<b>Hermanfrēdus</b>	1059. -	137.
<b>Giraldus</b>	1074. --	143.
<b>Otho</b>	1092. -	143.
<b>Edmundus</b>	1125. --	143.
<b>S. Guerinus</b>	1138. --	143.
<b>Ludovicus</b>	1150. --	147.

Amq-

	<i>An.</i>	<i>pag.</i>
Amedeus	1168.	148.
Waltherus	1170.	148.
Willielmus	1178.	148.
Conon	1179.	148.
Willielmus	1189.	149.
Guillielmus	1192.	149.
Udo	1196.	149.
Nantelmus	1198.	149.
Guillielmus de Saillone	1203.	150.
Verinus de Saillone.	1211.	150.
Landricus	1215.	150.
Boso de Granges	1237.	152.
Henricus de Raronia	1243.	152.
Rudolphus de valle Pellina	1271.	153.
Petrus de Orens	1275.	153.
Bonifacius de Challand	1290.	154.
Aymo de Castellione	1038.	155.
Petrus	1223.	155.
Aymo de Turre	1324.	155.
Philippus de Gastons	1338.	156.
Guitichardus Tavelli	1342.	157.
Eduardus de Sabaudia	1376.	159.
Humbertus de Billiens	1388.	161.
Guillielmus de Raronia	1393.	161.
Guillielmus de Raronia	1408.	162.
Andreas de Gualde	1418.	163.
Guillielmus de Raronia	1437.	167.
Guillielmus de S. Sabinia	1451.	169.
Henricus Esperlin de Raronia	1451.	169.
Waltherus Superfalso.	1458.	170.
Jodocus de Silcaen	1482.	173.
Nicolaus Schiner	1496.	176.
Matthaeus Schiner	1500.	176.
Philippus de Platea	1523.	183.
Adrianus I. de Riedmatten	1529.	184.
Joannes Jordan	1548.	185.
Wilteprandus de Riedmatten	1565.	186.

	<i>An.</i>	<i>Pag.</i>
Adrianus II. de Riedmatten	1604. --	196.
Hilteprandus Jost	1613. --	198.
Bartholomæus Supersaxo	1638. --	203.
Adrianus III. de Riedmatten	1640. --	203.
Adrianus IV. de Riedmatten	1646. --	204.
Adrianus V. de Riedmatten	1672. --	205.
Franciscus Joseph Supersaxo	1701. --	206.
Joannes Josephus Blatter	1734. --	207.

*Sequuntur ij, de quibus dubium est, an fuerint  
Vallenfium Episcopi?*

Oggerius	An. 300.	Pag. 45,
Salvius	Sæc. 5. to	- - 65.
Ruficus	Sæc: eodem.	- - 95. & 83.
Gratus	an. 690	- - 83.
Heyminus	Sæc. X. mo.	- - 133.

*Qui fuerunt Abbates Agaunenses.*

Althæus	año 790.
Aymo	1049.
Adalongus	817.
Wilhelmus	1189.
Adrianus II	1604.

*Quorum annus notatus est vita ultimus.*

Florentinus	An. 411.
Wilphinus	942.
Waltherus I.	1170.
Wullielmus	1178.
Garinus	901.
Udo	1196.

*Quorum Sedes est vel quod ad tempus, vel quod  
ad locum ferè incerta.*

Helias	An. 390.
Adalongus	817.
Garinus	901.
Eberhardus	959.

**F I N I S.**







